


EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

Ie 248.

SIGNAT. 1515 CCCXIII.





SAMUELIS STRIMESII,

Theol. Doctor. & Profes. Ordin. in Ecclesia
& Univers. Francofurtensi,

EPISTOLA IRENICA

ad

DOMINUM

DANIELEM SEVERINUM

SCULTETUM,

Theologum Hamburgensem,

super hujus

Observationibus

ad

Criticam suam *Concionatorium*

novissimè editis,

Assertionique amplissimæ divinæ Gratiæ,

Theologo Geneveni

Dn. Benedicto Picteto

ab Autore inscriptæ oppositæque,
annexis.

Francofurti ad Viadrum.

Apud JOHANNEM VÖLCKER.

M D C C I.

5.

N. 30.

Agitur in hac Epistola:

1. De Universali & Particulari
Dei Gratia cùm Subjectiva
tùm Objectiva.
2. De Consolatione & Certitu-
dine Salutis ex Particulari
Dei Gratia hauriendis.
3. De Termino Gratiæ perem-
ptorio.
4. De Hominis Conversione.
5. De Sanctorum Perseverantia.
6. De Communicatione Idio-
matum in Christo.
7. De Omnipræsentia Carnis
Christi.
8. De Reali Præsentia & Man-
ductione Corporis Christi
in S. Eucharistia.



Viro eruditione Scriptisqve
Theologicis perquam conspicuo
DOMINO
DANIELI SEVERINO
SCULTETO,
Theologo Hamburgensi famigratissimo
Salutem, in Christo, Salutis fonte unico,
plurimam!

Vir Clarissime ac Celeberrime,

Affectionem amplissimæ
divinæ gratiæ, ex amore
Veritatis & Pacis hoc an-
no à Te repetitam, non ita
pridem, cum Francofurtô
Berolinum venissem, Au-
GUSTISSIMO REGI NOSTRO FRIDERICO,
Pacis, si quis alius, cum primis Ecclesiasticis,
a 2 studio-

Studioſiſſimo, Concionem Eucharistiſticam de Re-
gno Boruffie per diuinam providentiam felic-
iſſimè à Se constituto, ipſo autem Inaugura-
tionis Festo ex mandato Regio Francofurii
ad Viadrum à me habitam, humiliimè ob-
laturus, die quodam ex publico in diverso-
rium reverſus mensæ meæ appositam reperi,
quam, uti poſtea intellexi, Bibliopola quispi-
am haud rogatus ſponteq; ſuā, me prorsus
inſcio, attulerat, cumq; ex fine rubricæ,
Observationes ad Criticam meam Concio-
natoriam jrenicas iſti à Te cognovifsem ad-
jeſtas, has vero pagellis paucioribus compre-
hensas deprehenderem, deſiderio Pacis Pro-
teſtantiæ compulſus, quō ex eo tempore in-
deſinenter flagro, ubi utriusq; Partis Con-
troverſias harumq; pondus perſpecta ſatis hu-
beo, ad Lectionem dictarum Obſervationum
citra ullam moram, quam avidiſſimè me ac-
cinxī, jrenico utcrq; (quod non poffum non
fateri) conſcriptarum animo, de quo proin-
de uti illico tunc temporis certiſſimam ſpem
conceperam, ita etiamnum perſuafſiſimus
fum, pacc illius utique fieri poſſe, ut, que
inter legendum in mentem veneſunt, vel
Criticam meam iiluſtratura, vel Obſerva-
tiones in eam Tuas, Vir Rverende, partim con-
firnatru, partim, ubi à me dīcta non ſatia-
affecu-

affectione videntur, cum mente tua non minis
quam mea, maximè vero cum amicissima
utriq; nostrum veritate, ad cuiusvis intelle-
ctum oculumq; conciliatura propitiis, omni-
que hoc pacto anxiè desideratam adhuc in-
ter Protestantes Pacem Ecclesiasticam, bene-
dicente pacis Deo Ter Optimo, Ter Maximo,
ulterius promotura, Tecum, Theologo in Fre-
nicis Observationibus Tuis ad Tractatulum me-
um moderato atque pacifico, in amore S pa-
ce, veros Christianos enixè decentibus, com-
municarem, ab his, ne ipsem alibi vel
latum ungvem inter scribendum deflecam,
seriam datus operam.

§. I.

AC initio quidem de duobus in ante-
cessum mihi monendus es, *Vir opti-
me*, quorum alterum ad Libelli Tui
paginam trecentesimam septuagesimam
secundam, numeri istius paginæ quadri-
gentesimi vigesimi finem; alterum ad pa-
ginæ numeriq; proximè insequentium
initium spectat; Utrōq; autem & a-
ditum Observationibus Tuis Jrenicis para-
re, & fundamentum aliquod saltem nat-

αὐθεντον & ratione mei, iisdem struere satagis. PRIMUM est, quod nequicquam opinariis, AUGUSTISSIMUM REGEM NOSTRUM Particularissimum, id est particularem determinantemq; Gratiam Divinam, iis solis, quantum novimus, à Deo præ aliis indultam, qui ex eadem, ceu ex potentia Dei, servati, actu ipso æternam salutem conseqvuntur, ex universis Provinciis suis proscriptissime, multumq; à sensu & mente RESCRIPTI REGII aberras, quando id ipsum ex hisce istius verbis constare posse innuis, quibus ad ædificationem Ecclesiæ omnino necessarium REX ait, ut Pastores in Concionibus suis Doctrinā de Voluntate Dei &c. ita proponant, prout ea ex verbo Dei, *Lipsiae* & *Thorunii* ab Electoralibus Theologis repetita, confirmata ac defensa est. Ergone aliqui vel Verbū Dei, vel Confessiones Lipsiensis & Thoruniensis ex verbo Dei doctrinam de Voluntate Dei circa hominum salutem & damnationem repetentes confirmantes & defendantes, Particularem Dei Gratiam concessam aliis, aliis negatam, Voluntatem item Dei de nonnullis eā gratiæ mensurā aetū salvandis, quam aliis haud admetitur Deus, exterminant aut limiti-

limitibus suis arcendam memorant.[?]
 Qualem verò Gratiam Dei dicemus in
 ScripturaS.eam, ob quam Christus Patris suo
 laudes canit, occultatam à Sapientibus &
 Intelligentibus, retextam verò infantibus
 idque juxta purum putumq; Patris bene-
 placitum *Matth. XI. v. 20.*? Itemque, quā
 vocantur non multi Sapientes secundum
 carnem; Non multi potentes, non mul-
 ti Nobiles, verūm quæ stulta mundo sunt,
 ut pudefaciat Sapientes Deus, & infirma
 mundi, ut pudefaciat valida, & quæ igno-
 bilia sunt in mundo & pro nihilo habita,
 & quæ non sunt, ut ea quæ sunt aboleat,
 neve in Dei conspectu ulla caro glorie-
 tur *I. Cor. I. v. 26. 27. 28.*? Aut nullum
 omnino vel gradūs Gratiæ discriminem ad-
 mittemus, inter talentum unum, duo
 & quinque, aliis atq; aliis à Deo distributa
Matth. XXV. v. 15.? Aut non agnoscemus
 Jacobo indicasse verba sua Deum, statu-
 taque sua & jura Israeli, nec ita, (seu isto
 revelationis modo graduq;) fecisse ulli
 genti *Ps. CXLVII. v. 19.*? Aut Deo libertatem
 suam denegabimus in rebus suis faciendi,
 quod ipse vult, & uti, vel plus vel minus
 præmii largiendi operariis, ita ab his ip-

sis sive plus sive minus laboris exigendi,
pro varia virium iis concessarum propor-
tione Matth. XX. à vers. 3. ad 16. inclus.?
Atqui hæc eadem Particularis in Dei Ver-
bo edocta Gratia etiam Lipsiæ & Thoru-
nii ab Electoralibus Theologis repetita,
confirmata defensaque est, uti ad ocul-
lum patet ex *Appendice Criticæ meæ Con-
cionatoria*, à Te, Vir Doctissime, quæ est
humanitas Tua, lectu dignissima habita.
Ita enim loquuntur *Theologi IN CONFESSI-
ONE LIPSIENSI*: Quod Deus ab æterno
in Jesu Christo ex corrupto genere hu-
mano non omnes sed aliquos homines,
quorum numerus & nomina ipsi solùm
nota sint, elegerit, quos suo tempore
virtute & efficaciâ verbi & Spiritus sui
ad fidem in Christum illuminet & reno-
vet, & eam ad finem usque conservet, tan-
demque per eam æternūm beet. Quod
nullam causam impulsivam vel medium
præcedens, vel conditionem hujus electi-
onis in ipsis electis invenerit, neque eo-
rum bona opera, neque fidem, neq; pri-
mam inclinationem salutarem, motum
aut consensum ad fidem præviderit, sed
quod quicquid in ipsis boni est, ex sola &
libera

libera Dei gratia, quæ ipfis *præ aliis in*
Jesu Christo ab æterno destinata & dona-
ta est, fluat & derivetur. Append. pag. 8.
& 9. IN THORUNIENSI verò adhuc clari-
*us, n. 4. Nec efficaciam, *inquiunt*, gra-*
tiæ vocantis à libero hominis arbitrio sus-
pendimus, quasi non Deus per Specialem
Gratiam, sed ipse homo per arbitrium pro-
prium se ipsum discernat, loco cit. pag. 14.
Consentient THEOLOGI FRANCOFURTEN-
SSES his verbis: Nihilominus tamen Deum
cœlestem patrem juxta divitias gratiæ
suæ peculiarem ex toto genere humano
gregem sibi elegisse & Filio suo, qui etiam
speciatim illum in populum peculiarem
sangvine suo mercatus est, donasse; quem
sicut per peculiarem impromeritam, nul-
lo etiam pacto ob hanc causam quod uni-
versali gratiâ melius quam priores usuri
essent, donatam, per tam efficacem Grati-
am ad regnum Filii sui vocaret, ut in-
fallibiliter pœnitentiam agat, in ipsum
credat, & in tali fide in ipsum constanter
ad finem conservetur, atque ita per ean-
dem fidem in ipsum justificetur & tan-
dem glorificetur pag. 30. num. 6. Omni-
bis autem præivit SERENISSIMI RE-

GIS NOSTRI ABAVUS GLORIOSISSIMÆ
 MEMORIÆ JOHANNES SIGISMUNDUS, quando confitetur: Deum omnipotentem ex mera gratia & misericordia sine ullo intuitu humanæ dignitatis sine ullo merito & opere ante jacta mundi fundamenta ad vitam æternam prædestinasse & elegitte omnes eos, qui in Christum constanter credunt suos etiam novisse, & sicut eos ab æterno dilexit, ita ex mera gratiâ verâ fide & perseverantiâ usque ad finem eâ ratione donare, ut nemo eos ex Christi manibus rapere, nemo ab ipsius amore separare possit, omniaq; sive bona sive mala ipsis adjumento esse debent ad bonum, quia secundum propositum vocati sunt. App. pag. 3. & 4. Et quidni sic præivisset glorioissimus Confessor? cum ex ipsa Augustana Confessione hæc sequens assertio derivari perhibetur à præclaro Ecclesiæ Lutheranæ Theologo Johanne Hülsemanno: *Electis peculiaris quedam Gratia à Deo preparata, quâ infallibiliter convertantur & in fide conservantur.* De Auxiliis Gratiae, editione secundâ auctiore & correttiore pag. m. 317. init. confer pag. præced. 316. Num. III. Ut adeoq;

adeoq; in propatulo sit *Clarissimum Dominum Scultetum* judicium suum præcipitasse nonnihil, iteratâ vice censendô: FREDERICUM NOSTRUM, REGEM PRENTISSIMUM, ad PATRIS AVI^{QVÆ} sui exemplum, ex universâ suâ ditione amplissima Particularismum proscriptisse, pag. 372; Nisi forte talem subaudire in posterum Particularismum velit Vir Celeberrimus, qui Universalismo dicam scribit, huncq; exclusum negatumq; cupit, id est, negatam sublatamq; it Gratiam Dei Salutarem cum Subiectivam tūm Objectivam omnibus ac singulis hominibus, maxime verò per Evangelii prædicacionem vocatis communem, eoque Universalem, ad salutem indipiscendam cuivis sufficientem, qualem Particularismum, ad amussim Scripturæ Sacræ ac Confessionum Theologorum Electoralium, Lipsiæ Thorunii & Francofurti editarum, AUGUSTUM REGEM NOSTRUM Rescriptō suō ad Concionatores suos Aulicos datō improbasse utique Cathedrisq; Theologicis & Suggestibus Sacris penitus prohibuisse dissimulandum non est.

§. II.

§. II.

ALTERUM, de quo Te monere habeo,
 est παρεπηγένεια à Te Celeberrimi Gauſſenii
 verbis, initio pag. 84. Criticæ meæ allegatis
 laudatisq; intentata, quâ ex eo, quod is
 scripferat, experiri Noſtrates mirariq;
 subinde existere qui doctrinâ de justificatione
 gratuita, de absoluto Electionis &
 Reprobationis Decreto, de Perſeverantia
Sanctorum ad suas cupiditates abutuntur,
 edixeratq; propterea discipulis suis in
 Concionibus Auditores summo studio ad-
 monendos esse, ut salutem suam cum
 timore & tremore promotum eant, Tu in-
 fers colligisq; (1) Timorem hīc nullum
 alium atque istum intelligi posse, ut sibi
 Auditores metuant non tantum ante
 veniam obtentam, ab effundenda Dei ira
 (quod εξαγόνων) sed etiam post obtentam
 veniam à jactura veniae adoptionis &
 salutis; Hinc (2) non amplius secundum
 Dordracena placita docendos esse Audi-
 tores, quod conversi quique absolute se-
 curi de perpetuitate justificationis, æter-
 naque debeant esse salute pag. 373. in me-
 dio nam. 421. Hoc pacto, Vir integerrime,
 non uno certè nomine & in consequen-
 tiarum

tiarum neglectarum legitimū modūm,
& in genuinam Ecclesiæ nostræ Reforma-
tæ de Perseverantia Sanctorum doctri-
nam gravius impingis. Nam PRIMÒ,
nemo Theologorum Lutheranorum ad-
monitus Auditores suos ut salutem su-
am cum timore ac tremore promoveant,
ob id existimaverit, post obtentam ab his
delictorum suorum veniam, à nulla re-
alia metuendum iis esse, quam à jaētura
veniæ adoptionis & salutis, non etiam à ja-
etura gratiæ paternæq; Dei benevolen-
tiæ & charitatis, quā sibi constanter adhæ-
rentes magis magisq; complectitur.
Deus; à donorum spiritualium copiosius
subinde in suos pietati indesinenter na-
vantes operam effundendorum denega-
tione, à paternis iisque aliquando gravi-
oribus castigationibus, quales Davidicæ
olim optioni exponebat Deus 2. Sam. 24.
v. 13. Quod si vero etiam ab his aliisque
similibus multis metuere habent Auditores
promiscue omnes & cuiuscunq; reli-
gionis post obtentam à Deo veniam, qui
admonitorum admonendorumq; Auditorum
Reformatorum, ut cum timore &
tremore salutem promoveant, metus
post

post obtentam veniam nullus alias fuerit aut esse poterit quam metus à jactura veniae adoptionis & salutis? DEINDE, Reformati haud negant Auditoribus suis etiam post obtentam veniam metendum esse à jactura veniae adoptionis & salutis, si non semper totalis, saltem partialis, cum istos bifariam considerent, partim in se ipsis inque suis etiam ipsius Divinæ jam tum concessæ Gratiæ viribus, partim in potentia Dei, ex qua ad salutem servandi sunt dicente Petro I. Pet.

I. v. 9. Etsi verò posteriori respectu omnis metus à jactura veniae adoptionis & salutis omnimoda cessat; non tamen priori respectu, quô potius admonentur, omni securitati nuncium mittere, serioque cavere, ne stantes aliquando labantur.

I. Cor. X. v. 12. atq; si non totalem, saltem partialem etiam dictarum rerum jacturā patiantur, fusiūs expositam à Roberto Baronio Scoto-Britanno, *Dissertat. eruditiss. de Peccato Venial. ac Mort.* Quod ipsum etiam Dordracena placita totidem verbis *judicij de quinto in Ecclesiis Belgicis controverso articulo* inculcant: Quos Deus, inquit, secundum propositum suum ad communion-

munionem filii sui Domini Nostri Jesu Christi vocat & per Spiritum Sanctum regenerat, eos quidem & à peccati Dominio & servitute, non autem à carne & corpore peccati penitus in hac vita liberat. Hinc quotidiana infirmitatis peccata oriuntur & optimis etiam Sanctorum operibus nævi adhærescunt, quæ illis perpetuam se coram Deo humiliandi ad Christum Crucifixum configiendi, carnem magis ac magis per Spiritum precum & sancta pietatis exercitia mortificandi & ad perfectionis metam suspirandi materialm suggerunt tantisper, dum hoc mortis corpore soluti cum agno Dei in cœlis regnent. Propter istas peccati inhabitantis reliquias & mundi insuper ac Satanæ tentationes, *non possint conversi in ista gratia persistare si suis viribus permitterentur;* Sed fidelis est Deus, qui ipsos in gratiâ semel collata misericorditer confirmat, & in eadem usque ad finem potenter conservat. Et si autem illa Potentia Dei verè fideles in gratia confirmantis & conservantis major est quam quæ à carne superari possit; non semper tamen conversi ita à Deo a-guntur & moventur, ut non possint in qui-

quibusdam actionibus particularibus à dicta gratia suo vitio recedere & à carnis concupiscentiis seduci eisque obsequi. Quapropter ipsis perpetuò est vigilandum & orandum, ne in tentationes inducantur. Quod cùm non faciunt, non solum à carne, mundo & Satana in peccata, etiam gravis & atrocias abripi possunt, verum etiam interdum justa Dei permissione abripiuntur, quod tristes Davidis Petri aliorumq; lapsus in Sacra Scriptura descripti monstrant. Hucusq; Patres Dordraceni, Artic. I. 2, 3, 4; Qui iidem Securitatem omnigenam nedum absolutam à doctrina hac pariter atque Auditoribus suis strenue cohibituri Artic. 12. ita pergunt: Tantum autem abeat, ut hæc Perseverantiae certitudo verè fideles superbos & carnaliter securos reddat, ut è contrario humilitatis, filialis reverentiae, veræ pietatis, patientiae in omni lucta, precum ardentium, constantiae in cruce & Veritatis confessione, solidique in Deo gaudii vera sit radix. Et consideratio istius beneficii sit stimulus ad serium & continuum gratitudinis & bonorum operum exercitium, ut ex Scripturæ testimoniis & Sanctorum exemplis

exemplis constat. Quanquam TERTIÒ iisdem Reformati etiam utrōqve supradictō respectu quibusdam Auditoribus suis post obentam licet veniam, à jactura tamen veniae impetratae Adoptionis & Salutis omnigena metuendum esse largiantur, iis scilicet, quotquot temporariâ duntaxat, verâ quidem, mutabili tamen, non verò radicatâ multisqve bonis operibus confirmatâ ac stabilitâ, prædicti, instar Infantium Sanctificationem Adoptionem & Salutem, mutabiles totaliterqve amisibiles, obtinuere. Quin QUARTO Ipse Clarissimus Observator, uti *limitatum iræ Dei & Gehennæ metum* quibusvis promiscue Auditoribus incutiendum svadet pag. 373 *in fine*; Ita cum primis Regeneratos post veniam obtentam ad frequens operum charitatis studium *non per Gehennæ metum*, sed per alias rationes impellentes, quæ copiosissimæ dentur, inducendos doceat p. 374. à linea 7mā.

§. III.

Expeditis sic ambobus istis, de quibus in antecessum mihi monendus eras Vir humanissime ad *Observationes* nunc Thras Frenicas prompto pede expenden-

B

das

das accedo, quarum *alias* in Commentationes meas de Usu ADHORTATORIO; *alias* in similes de CONSOLATORIO; *nonnullas* denique in SINGULARES QVINQUE ASSERTIONES quasdam, hinc inde à Te ex *Critica mea Concionatoria* collectas, adferre dignatus es, in universum omnes, partim à me nunc illustrandas; partim, sicuti opus fuerit, ampliandas; alias autem à peregrinis quibusdam gremioque earum haud contentis Porismatibus vindicandas liberandasque.

Ad Usum ADHORTATORIUM quæ dixeram, à Te Viro laude dignissimo imeritis encomiis celebrata, brevitatis interim studiō ad tres reducuntur Assertiones, quarum *Prima* contendit: Neminem hominum in Adamo integro ad Contritionem, vivam in Christo Fidem, novum denique Obsequium vires à Deo necessarias accepisse. *Secunda*: Christum universis verbī auditoribus, quin universis hominibus per sanctissimam vitam mortemqve suam hujusmodi vires promeruisse. *Tertia*: Per prædicationem verbi cuivis auditori vires has à Christo impetratas in tantum obtingere, ut saltem

tem à malitiosa Resistentia abstinere que-
at. Singulis hisce Affectionibus à me haud
invito pro meis agnitis Porismata Tua
subnectis, non omnia tamen æqualiter
vel ex Affectionibus modò dictis deduc-
cenda, vel cum veritate in gratiam faci-
le redditura. Quod ut tantò dilucidius o-
stendam, singula percurrere gravabor,
nullus, pleraque tamen calculo meo pro-
baturus, quò de Pace in hoc Articulo nos
inter quām facillimè coalitura tantò mi-
nus ambigas.

§. IV.

Prima Assertioni meæ connexum Po-
risma unicum & solitarium, tūm Conse-
quentiæ virtute, tūm Veritatis efficaciâ
insigne est: Deum non posse ulli mortali-
um injungere Resipiscientiam & novum Ob-
sequium, (puta quatenus illud Fidei est,
vel ex Fide in Christum viva emanat) ni-
si secundum antecedentem suam Volunta-
tem benignam paratissimus semper sit, vi-
res eidem ad Resipiscientiam & Obsequium
hujusmodi sufficientes suppeditare. Nitit-
tur infallibili hōc & ex ipsa Dei natura
fluente Axiomate; Deum rationalem
creaturam suam, per Justitiam sibi es-
B 2
sentia.

sentialem ad nullum Officium obstringere posse, ad quod præstandum nullas eidem unquam vires concessit. Nec est, quod quispiam, applicationi axiomatis infestior, excipiat; Homini integro ad omne Officium, se dignum, à Deo, vi imaginis Divinæ concreatæ, sufficientissimas vires fuisse concreditas. Nam, utut hoc dari possit, officiumq; Resipiscentiæ & huic analogi Obsequii novi, imperfecti per quam ac mutilis, officium homine integrō haud indignum reputari; tamen, ne quid ambigui sermo noster contineat, palam profitemur: Hominem, uti ad nullum Officium obligari, ita nec vires ad idem subeundum à Deo, sive per Creationem, sive extra eandem, suppeditari illi potuisse, quod tūm ratione hominis integrī, tūm ratione ipsius Statūs Integritatis, manifestam involvit contradictionem, quale Resipiscentiæ Fideique in Christum ceu Mediatorem ac Redemptorem vivæ & Obsequii parilis officium esse nemo non videt: Implicat enim tam certò, integrum esse & ab omni culpâ immunem resipiscere tamen à culpa posse & Redemptori suo adhærere, quam certò

Pelagi-

Pelagianismum redolet ab elabendi ri-
mam hic quærentibus fortean dicendum:
Hominem integrum, virtute Integritatis
suæ, seu quatenus integer fuit, id habu-
isse, ut, quando lapsus fuisset olim, pœni-
ttere ipsum lapsûs istius postliminiò posset,
& ipse Mediatorem sibi oblatum verâ fide
amplecti.

§. V.

Assertionis secundæ Porismata tria (1)
Deum pronissimum esse ad dandas uni-
versis mortalibus resipisci vires ceu
â Christo promeritas, sed eâ lege, ut Ver-
bum assiduè legatur, audiatur, pondere-
tur. (2) Deum actu ipsô daturum has
vires omnibus, dummodo Verbum fre-
quenter legant, audiant & ad animum
vovent; (3) Deum paratissimum esse ad
dandam omnibus Habitualē Sanctita-
tem hujusque exercitium, sed eâ lege,
ut omnes Verbō debitâ utantur ratione-
num. 423. expositâ, *Tria* inquam *Poris-*
mata hæc, cuncta per Legem quandam
de debito assiduoq; verbi divini Usu mo-
dificata, quatenus ita modificata accipi-
untur, nec Assertionis meæ Porismata
sunt, nec omnia sibi ipsis constant, vel,

si secum concilientur, ut constare sibi posse appareant, Hæterodoxiæ penitus immunia haud evadunt. *Non Porismata sunt Universa*, quatenus nempe modificata manent; Enimverò, quô pactô ex impretratione virium, ad resipiscendum necessariarum, per Christi meritum factâ, colligas Usum verbi Divini legitimum assiduumque, ceu Legem, Collatione saltem istarum impetratarum virium omnium priorem? *Non constat sibi* sigillatim *primum*, idque duplici nomine (1) *Quod Deus* nunquam intelligi potest pronissimus, ad dandum omnibus vires resipiscendi sufficientissimas, sub lege legitimi Usûs verbi, quando plerisq; nullum verbi Usum concedit. (2) *Quod Christus*, quando dicitur omnibus mortalibus, per se in peccatis mortuis, proindeq; Verbi Divini Usum quemcunq; bonum, nedum omnino legitimum & assiduum aversantibus, vires sufficientissimas ad resipiscendum impetrasse, & Patrem permovisse ad vires impetratas omnibus mortalibus impertiendas, eo ipso intelligitur vires etiam ad legitimum verbi divini Usum u. dem impetrasse, hasq; vel propiores,

si ver-

si Verbum ipsum legendum audiendumq;
præbeatur, vel remotores, si minus; ut
adeoque legitimus Verbi Divini Uſus, Le-
ctio, Auditio Ponderatio, usque non
possit esse Lex seu conditio, sub qua Pater
pronissimus fit, vires mortalibus ad resi-
piscendum sufficientissimas elargiri, ut
potius Uſus legitimi verbi Divini, hujusq;
affiduæ lectionis auditionis & pondera-
tionis vis ac Facultas inter vires istas cen-
fenda numerandaq; veniat, quas Christ,
meritô suô mortalibus impetravit, & Pa-
ter pronissimus per idem meritum redi-
tus est mortalibus omnibus conferre.
Quodsi verò Porisma primum, (seu recti-
us Assertio Porismatis titulô indebetē ma-
ctata) dum in se ipsa spectatur, satis sibi
constat, atque adeò certum est, Deum
sub hac duntaxat lege pronissimum esse
vires à Christo impetratas omnibus mo-
talibus ad resipiscendum dare, si nempe
mortales Verbum affiduè legant, audiant
& ponderent, Assertioni huic alterutra
Heterodoxia imminebit infensior, *vel*,
Verbi legendi audiendi & ponderandi Fa-
cultatem virtutemq; viribus ad resipiscen-
dum necessariis neutquam annumeran-

dam esse; *vel*, Facultatem hanc virtutemque legendi audiendi & ponderandi verbum, ceu Legem à Deo constitutam (à qua is promptitudinem suam vires ad resipiscendum sufficientes elargiundi mortalibus suspendeat) ad pure Natu- rales hominis spiritualiter mortui vires pertinere; ut adeoque Spiritus Sanctus non opus olim habuerit Lydiæ cor aperire quò attenderet ad id, istaque ponderaret, quæ à Paulo dicebantur *Ad. XVI,*
14. Hæcce ad *Porismata Assertionis Se- cundæ tria* quatenus ista modificata manent, annotanda duxi; extra modifica- tionem hanc, etiam à solo duntaxat pri- mo Porismate sejungendam, à me non- minus pro Porismatibus Assertionis meæ legitimis, quam pro Propositionibus & sibi ipsis, & Orthodoxiæ Biblicæ amicissi- mis habenda & suscipienda.

§. VI.

Ad Tertiæ tandem Assertionis meæ
Porismata, Sacrō Septenariō notata con- tentaque, accedo consideranda. Etsi verò vel ipsa Assertio, initio numeri quadringentesimi vigesimi quarti non meis verbis concepta est; ea etiam, quæ Parenthe-

renthesi inclusa reperiuntur, innuere, velle videntur, Prævenientis Gratiæ Terminus non adeò convenienter à me, usurpatum, sed Gratiæ Præparanti tributum esse, cuius cum ista Gratia confusio nem Termini acceptio mea moliatur; tamen cùm & paulo post in fine istius numeri eadem Assertio verbis meis expressa legatur, & Prævenientis Gratiæ significatio à me adhibita vel ipsis Theologis Lutheranis comprobetur, usitatoq; iis sensu Præparanti contradistingvatur, (uti videre est apud Quenstedium Systemat. Theol. Part. Tertiâ Cap. 7. Thes. 25. § 26.) haud operæ pretium auguratus huic negotio vel tantillū immorari, satiusque ducens in verbis facilem esse, quando de re constat, citra ulla ambages, quousq; quôque sensu Porismata dicta Assertioni meæ, tūm quâ Materiam, tūm quâ Formam suam porismaticam, congruant, ad numerum 425tum Tractatūs Tui indicare propero.

Ac PRIMO quidem, Deum paratissimum enuncianti ad dandam universis Habitualē Contritionem & Fidē vivam, dummodo abstinuerint Resistentiâ mali-

tiosâ, prout ex beneficio Gratiæ (sive hæc Præparans sive Præveniens audiat) possunt facere; Itemq; SECUNDO, Resistentiam malitiosam (quâ omnes, beneficîo Gratiæ jamjam dictæ abstinere poterant) statuenti impedientem, quò minus illis actu ipso Resipiscentia detur, ex aſſe adſtipulor; Ad utrumq; interim annotandum venit, (1) Abſtinentiam à Resistentia, Liberi Arbitrii ætum constituerre non equidem Naturalis, at per Gratiam divinam restaurati, Pelagianismi nullatenus reum, quamdiu iſte unicæ Gratiæ in ſolidum acceptus fertur, iſtô tam en protinus inquinandum, ſimulac quicquam ejus, quod Abſtinentiam à Resistentia quoquô modô ingreditur, Naturali hominis arbitrio vindicatur, tantoq; magis, quantò idem nudæ Non-resistentiæ, Naturali Liberō Arbitriō adhuc minori, tribuendum dicitur. (2) Accuratiſſimè & Scripturæ Sacræ convenientiſſimè Doctiſſimum Observatorem loqui, quando Resistentiam malitiosam impediſſe ait, non, quo minus Resipiscentia inſequatur, ab homine quaſi ætivé determinanda, ſed quò minus hominibus à Deo detur,

detur à Deo scilicet in homine, sese post
editum per Liberi Arbitrii restaurati vires
Non - resistentiæ malitiosæ proereticæ a-
ctum, merè passive habituro, efficienda,
ut sic à solo Deo præeunte Scripturâ
homo dicatur converti. TERTIUM PO-
RISMA, edifferens : Nullâ nos, post re-
stauratum per Gratiam Dei Prævenien-
tem Præparantemq; Liberum Arbitrium,
divinâ Determinatione ad actum Non-
resistentiæ malitiosæ liberè exercendum,
ante Resipiscentiam, à solo Deo dandan
opus habere, suâ luce radiat, adhuc red-
dendâ illustriori per rationem ab Observa-
to-adjectam : *Dat enim, inquit, Deus poten-
tiam credendi, ejusque vi abstinere possu-
mus à resistentiæ malitiosa.* Nec minùs
QVARTUM PORISMA præfulgidum est :
Deum scilicet propterea quoque, quod
nobis per Gratiam suam vires à malitio-
sa Resistentia, citra Determinationem su-
am, abstinenti, concessit, ab eadem nos,
etiam citra Determinationem suam, ab-
stinere velle. Quanquam Determinatio
hæc Divina, quoad liberum abstinenti à
malitiosa resistentia Actum nostrum, ne-
gata, non neget Gratiam Divinam ad a-
ctum

Etum hunc nostrum exercendum neces-
sariam prævenientemq; à Deo nobis ir-
resistibiliter collatam.

§. VII.

Ast verò QUINTUM cum non simpli-
citalis grano accipiendum; Etsi enim ni-
hil impingimus in analogiam fidei, dum
afferimus, eos qui convertuntur citra
divinam Determinationem ante Conver-
sionem abstinere a malitiosa resistentia,
ex viribus Supernaturalibus, atque hinc
(citra tamen ullum meritum suum utq;
Abstinentia libera à malitiosa Resistentia
ante Conversionem conditio nuda & cau-
sa sine qua non Conversionis sit) con-
verti; impingimus tamen in eandem, si
afferamus, abstinentes à malitiosa Resis-
tentia citra Determinationem divinam,
ante Conversionem, etiam citra eandem
divinam Determinationem actu converti,
sicque semet ipsos in Conversione vel
covertendō determinare. Impingi-
mus, inquam, sic in Analogiam fidei,
tum ex hypothesi Scripturæ Sacræ, quæ
Deo soli totum Conversionis actum,
omnemque Conversionis efficientiam
tribuit *Ferem. XVII. v. 14. collat, cum cap.*

31, 4.

31. v. 18. & 33. Ezech. ii. v. 19, 20. c. 36,
 26, 27. aliisque locis quam plurimis; tum
 ex hypothesi Protestantibus omnibus
 communi, quam hominem in Conversione
 ipsa se pure passivè habere uno ore
 confitentur; at secus docerent, sibique
 adversarentur ipsis, si dicerent, Supernatu-
 ralibus viribus citra Determinatio-
 nem divinam abstinentes à malitiosa Re-
 sistentia ante Conversionem, etiam citra
 eandem Determinationem actu converti.
 Quæ contradic̄tio non tollitur, si excipiat-
 tur: Hominem abstinentē à malitiosa Re-
 sistentia in Conversione se mere passivè
 habere sicque converti passivè se habens
 citra divinam Determinationem: Nam
 cùm Abstinentia ista à malitiosa resistentia
 sit proæretica eoque actus moralis & li-
 ber, evidens est, hominem in Conversio-
 ne citra Determinationem divinam absti-
 nentē à malitiosa Resistentia ex proæ-
 si, semet in Conversione activè, non ve-
 ro mere passivè habere; & quoniam ab
 hac Abstinentia à malitiosa Resistentia, ju-
 dice doctissimō Observatore, est, homi-
 nem converti, consequens fuerit, homi-
 nem citra Determinationem divinam.

proæ-

proæreticâ suâ Abstinentiâ à malitiosa Resistentia, id est, suômet propriô actu, se ipsum convertere; Quod tamen idem, cuiuscunque tandem Assertum fuerit, à Te, Viro in re Theologica exercitatissimo, explosum iri, ceu in Fidei analogiam omnino impingens, plane confido. Quod modò dictum ad QUINTUM Porisma idem DE SEXTO repetendum venit: Etenim, licet nihil absurdî sit statuere, quod ii, qui convertuntur, ex viribus Supernaturalibus citra Determinationem divinam abstineant malitiosâ Resistentiâ ante Conversionem; absurdî tamen plus satis est statuere, quod ii, qui convertuntur & in Conversione se mere passivè habent, citra tamen Determinationem divinam per suam ipsorum liberam à malitiosa Resistentia Abstinentiam convertantur, sicque post collatas sibi à Deo vires Supernaturales suâ activitate semet convertant ipsos, Conversionemque suam determinant.

§. VIII.

Hincque SEPTIMUM idemque ultimum à Clarissimo Dn. Sculteto ex Assertione mea de Usu Adhortatorio tertio deduc-

deductum deducendumque PORUSMA ita
 efformandum fuerit: Verosimillimum
 esse, omnes omnino homines, post con-
 cessam nudam Potentiam resipiscendi &
 credendi, Spiritui Sancto tamen malitiosè
 resistere, atq; adeò quosdam eorum ex ab-
 soluto beneplacito electos esse ad Fruitionē
 Gratiæ determinantis, hos determinari
 ad id, ut abstineant à malitiosa resis-
 tia ac consequenter converti. Idque
 ipsum sibi quisque facile persuaserit, per-
 suaserit inquam sibi: Mortalium nem-
 nem esse, qui sequatur ductum Supernatu-
 ralium ad resipiscentiam virium sufficien-
 tiū duntaxat non insimul determinantium
 à Deo concessarum, eoque mortalium ne-
 minem à malitiosa Resistentia citra divi-
 nam Determinationem desistere, qui se-
 riò ad sequentes Assertionis hujus ratio-
 nes attenderit (1.) Quòd Sacra Scriptura
 Liberum Arbitrium, etiam ex Gratia tale,
 quā Actum & exercitum, saltem in Con-
 versione, (qualem tamen Actum & exer-
 citum adversa Sententia re ipsâ admittit)
 plurimis dictis locisque neget, paulò an-
 te citatis; adde ex Novo Test. *Joh. XV.*
v. 16. ad Rom. IX. v. 29. Cap. XI. vers. 4, 5.
ad Eph. I, vers. 4. Sc. (2)

(2) Quòd Sacra Scriptura homines, etiā ratione Fœderis gratiæ insuperhabiti, pares faciat atque æquales, uti cum primis patet *Rom. III. v. 8.* & scqq. Annotanda in dicto hoc Apostolico vis & emphasis vocis *ἀπειθίας* Imperficitatem propriè significantis, & conferendus *locus* *cum cap. ejusdem Epistolæ XI. v. 30, 31.* Quō pactō homines in peccato adversus Fœdus Gratiæ pares inveniuntur, omnes, nemine quantum novimus exceptō, increduli facti (3) Quod res ipsa & experientia loquatur: Homines à Gratiæ Fœdere deficere ac defecisse, adscitâ cum primis Distinctione inter Defectionem Mediatam in majoribus, & Immediatam. Hinc (4) Nemo sibi tutò vel ullum Actū exercitiumque Liberi Arbitrii, per Gratiam Dei redonati, etiam ante Conversiōnem suam maximè hōc corruptō tempore applicare possit, præsertim cùm alias (5) Indeterminata hominum in Conversiōne *ἐνταξία*, etiamsi Divinæ Gloriæ nihil detraheret (quod tamen opere ipso face re clarissimè intelligitur, Conversionis Determinatione & Efficientiâ humanæ, liberæ & ex proæresi procedenti Absti nentiæ

nentiæ à malitiosa Resistentiâ, non autem
Divinæ actioni adscriptâ vindicatâque)
tamen humanæ Gloriæ, si miuns coram
Deo, saltem coram Proximo, (quæ Pha-
risaica meritò laus audit *Luc. XVIII, 2.*)
aliquid addat gloriandiq; materiam non
sterilem suppeditet. Per Voluntatem su-
am utut à Deo ad utrumq; Oppositorum
de novo elevatam semet convertere,
præ aliis, Superbiæ Spirituali pabulum sub-
ministrat copiosissimum: Nam, qui opi-
natur, quod suâ se Voluntate, restauratâ
licet quodammodo per Gratiam Dei in
omnibus hominibus, præ aliis Filium Dei
faciat feceritve, *primo* nec tam submisse
de se, nec tam de Deo magnifice sentiet,
quam par est; Superbiet eo nomine, quod
à se ipso sit Assensus, quô Gratiam indif-
ferentem & sibi cum omnibus hominib;
communem determinat; Efferet se hoc
nomine, quod se ipsum ab aliis discernat,
contra istud i. *Cor. IV. v. 7.* *Quis te discre-
vit? Quid verò habes homo quod non ac-
cepisti?* Deinde, non aget Deo tam devo-
tas Gratias, quod aliis & plerisq; homini-
bus præstet; Cogitabit enim, se illis
non præstare per Gratiam Indifferentem

C

sibi

cum illis communem à Deo datam , sed per Usum Gratiae rectum, qui à suo Libero Arbitrio , à Deo in omnibus hominibus restaurato, pendeat. Atque ex his patet, *Vir Colende*, non parum Causæ esse Reformatis Universalistis, cur in Conversio-
nis Negotio in diversam nonnihil à vobis adhuc eant sententiam , licet doctrinam hīc Vestram, in se formaliterq; spectatam, neutquam eam opinentur, quæ Fidei Christianæ fundamentum gravius lædat, nedum illud laceret vel evertat , imò ve-
rò talem quæ haud prohibet, quò minus omnes sincerō animō, nec invitā con-
scientiā & è mero in Reformatos odio , istam tenentes, nostrāq; meliorem judi-
cantes, tenerrimo tamen Christiani amo-
ris Affectu prosequantur Reformati , &
jugiter prosequendos arbitrentur quàm constantissimè. Neque profecto Tu *Clas-
sissime Scultete* (quæ mea de Te firma a-
nimo sedet persuasio) nostram Refor-
matorum de Conversione hominis ex-
positam modò Sententiam aliam dixeris
impostorum, quàm quæ Fidei Christianæ
fundamentum servat, Deo omnem Mis-
ericordiæ pariter atque Justitiæ Gloriam . ;
Homi-

Homini vice versâ non-converso Confusionem omnem transcriptum it, eidemque justæ excusationis ne umbram quidem reliquam facit.

§. IX.

Hactenus *Observationes Tuas* in Commentatiunculas nostras ad *Usum Adhortatorium* spectantes breviter percurrim, transiuri nunc Tecum ad similes *Observationes tuas* in Notas nostras CONSOLATORIO Usui illustrando destinatas. Equidem omnium primò hoc loco miratio animum meum subit, huncq; vel totum sibi eo nomine ista jure vendicat, quod in dictis Notis tradendis occupatum me in vos stringere calatum scribis, quando interim pag. 99. & seqq. à te allegatis id unicè agam, ut Particularismum, in quantum is Universalismo non adversus est, defensum legitimè eam & à gravissimo, quô novissimè quoque Theologus quidam illustris istum gravare sustinuit, præjudiciō levatum, putà, Particularismum omni Christianum solatiō privare, seu, hauriendæ Consolationis efficere penitus inidoneum. Interea admirationi nonnihil inhärentem animum

istud protinus revocat demulcetq; quod innuis, non inimicos vos velle esse in Particularem Dei Gratiam, sed sola Particularistarum figura impugnare, quatenus Antecedentem benignam legislatoriam Dei Voluntatem & beneficia ex illa ad omnes homines redundantia revertunt; (qua in re vel nosmet nunquam experiemini adversarios, figura poti⁹, si quæ forent Particularistarum, Uiversalem Dei in omnes homines benevolentia subruere satagentia ex Scriptura S. impugnaturos) tantāq; eundem animum nostrum contentatione pollicitatio hæc Tua perstringit, ut lætis etiam oculis excipere ea possit, quæ subjicis, me nempe pro Particularismo disputantem certâ ratione propria vineta cädere.

Cæterum, quoniam rem omnem, ut pote Te Judice dignam, quæ cum studio tractetur, perspicue & solidè per quasdam Assertiones expositurum Te promittis, quò animorum dissidiū per Veritatis perspicuam explanationem tantò facilius tollatur, agendum, acceptissimum nobis Ductorem *κατὰ πόδα* insequemur, Assertionesque Tuas debito cum studio considerabim⁹

rabimus, num etiam tales inveniantur,,
ut me certâ ratione vineta propria cæci-
disse convincere queant.

§. X.

Adverto istas numerô *Tuô 427. & 428.* ad
ternariū redactas: PRIMA Totum morta-
lium genus in duas Classes Piorum & Im-
piorum herciscitur; quâ Divisione nihil
potest esse verius, nihil etiam, quod me-
minus vinetorum priorum incisionis
arguere vel possit, vel velit. SECUNDA
Gratiam ex instituto Dei legislatorio be-
nigno Universalem (negatâ Particulari,
hujus scil. Naturæ, i. e. eâ quæ ex institu-
to Dei Legislatorio benigno derivatur,,
qualis supra §. *nostro imo* probata est, con-
cessâ licet istâ Particulari, quæ ex institu-
to Dei Jndiciali consequente originem
trahit) *triplicem* facit: *Aliam Actu & Ab-*
solutè Universalem, quæ omnibus omni-
no hominibus contingit, qualis Creatio,
Conservatio, Gubernatio, Redemptio,
Antecedens benigna Dei Voluntas, Gra-
tia Usum Verbi præveniens sive Divina
ad quærendum Deum invitatio largissima;
Aliam accommodè Universalem i. e. Parti-
culariorem, quæ est Praeconium Verbi &

C 3

Gra-

Gratia Spiritus S., ad resipiscentiam in
 Verbi Usu præparans, *in avaro*, verbō,
 Gratia omnibus Auditoribus communis,
 quousque hi verbum studiosē audiunt,
 legunt & meditantur; *Aliam* deniq; *Par-*
ticularem, solis non-malitiosē resistentibus
 propriam, quæ multifaria perhibetur,
 Gratia Convertens, Renovans, Excitans,
 Operans, Cooperans, Confirmans, Re-
 parans, Conservans, Consummans, Co-
 ronans, & quicquid vel his continetur,
 vel has insequitur. Neque verò hæc Se-
 cunda Assertio (quantum quidem mihi
 assequi licet) vel minimâ ratione vineta
 ista mea cædit, quibus, Particularismum
 non omnis Solatii vacuum, imò verò
 Completi Solatii verissimum fontem asse-
 rere conatus sum, moxq; clariūs often-
 dam; At verò eadem Assertio vineta Tua,
 vel in singulis membris suis non levi bra-
 chiō cædere advertitur; Quod ipsum dum
 in majorem Veritatis evolutionem luci
 clariori modestissimè exponere contendō,
 id quæso in sequiorem partem minus ra-
 pere sed pro dexteritate potius tua ani-
 mique candore, benignè interpretari ne
 dedigneris.

Pri-

*Primum Divisionis membrum, quō
Gratiæ Dei significationem tām am-
plam fistis, ut & Creationem, Conserva-
tionem, Gubernationem &c. ambitu suō
ista complectatur, erratum ab Ecclesiæ
Patribus Orthodoxis proximè ab Augusti-
no in Pelagio gravissimè porfligatum
incurrit, sicque Clarissimi Observatoris
vineta, Pelagianismo aliàs adversa, cædit,
distingvente Pelagiò inter Gratiam Naturæ
(quæ ipsi Creationis & Conservationis
&c. erat) Legis, & Evangelii, vid. Hist. Pelag.
Magni Joh. Ger. Vossii Lib. 3. Part. I. Thes.
I. à pag. 294. ad pag. 316. ejusdemq; Au-
toris doctissimas Theses Theot., Disputati-
on. 31. Thes. I. pag. mihi 471. 472. Adde
Hülfemannum de Auxiliis Gratiae p. m. 107.
Scilicet, nihil Gratiæ nomine ad evitan-
dam Pelagii æquivocationem Orthodoxis
Scriptoribus venit, nisi quod ad homi-
num creatorum lapsorumq; recuperan-
dam spiritualem æternamq; animarum
Salutem à miserante Misericordiarum Pa-
tre Deo suppeditatur, quale quid Creatio,
Conservatio, & Gubernatio neutiquam
censendæ. Redemptionem Generis hu-
mani agnosco exemplum Universalissimæ*

Gratiæ, omnibus omnino singulisque hominibus impetratæ, sed sic mihi Objectivam duntaxat Gratiam, absolute & Actu (uti loqueris) Universalem ostendis, Subjectivam vero ejusmodi nullam; nisi forte hanc per Gratiam Usum Verbi prævenientem, sive Divinam ad quærendum Deum invitationem largissimam indigetare insinuareq; volueris. Sed vero & haec (si scil. Actu & absolute Universalis esse, debet omnemq; verbi Usum præcedit.) *vel* propriæ & κυρίως dicta Gratia sit, Supernaturalis quædam & immediata Dei Illuminatio, per magnam illam Mundi Lucem, illuminantē omnem in hunc Mundum venientē hominem, singulis hominib; vi novi Gratiæ Fœderis Universalissimi indulta juxta istud Joh. I. v. 9. (Qualem nescio an admiseris agnoverisq;) *Vel* in αὐτός æquivoceq; à Pelagio appellatam Gratiam (i. e. in Naturalia Creationis, Conservationis & Gubernationis Beneficia) recidet, à Te, quantum ominari licet, per Divinam quam commemoras ad quærendum Deum invitationem largissimam intellectam, ab Apostolo autem ita celebratam, ut dicat: *Deum non possum fuisse scire*

sc̄e testimonii expertem, bona tribuendo
 dandoque nobis cœlitus pluvias ad præsti-
 tuta tempora fructibus perferendis, implens
 cibo & delectatione corda nostra Act. XIV.
 v. 17. Hæc verò Gratia, si ante præconi-
 um Verbi, vel hujus Usum, solis Naturali-
 bus beneficiis absolvitur, uti periculose
 admodum & more loquendi duntaxat
 Pelagianō, Gratiae nomine venit, ita
 (quamdiu Gratiae Supernaturalis & Misericordiæ cassa manet) non nisi à Pelagii
 Discipulis Sufficiens ad quærendum Ve-
 rum, tūm Trinum, tūm in Christo nobis
 reconciliandum reconciliatumq; Deum,
 invitatio habebitur. Secundum Divisionis
 Membrum quō Gratiam accommodè U-
 niversalem, omnibus Auditoribus Verbi
 communem facis, Præconium scil. hujus,
 tamdiu præcisē, quoisque illi Verbum
 studiosē audiunt, legunt & meditantur,
 hoc, inquam, membrum contra propria
 Clariss. Sculteti vineta tūm omnes Audi-
 tores verbi largitur Verbum Dei studiosē
 audire, legere atque meditari; ut ita Præ-
 conium verbi possit Gratia Universalis
 accommoda omnibus Auditoribus com-
 munis esse, talis non futura, nec omni-

bus Auditoribus communis , si minùs omnes studiosè verbum audiant, legant & meditentur; tūm omnes studiosè audientes, legentes & meditantes Conversorum numero eximit, utpote quām diu studiosè audientes, legentes & meditantes Verbum remanent, Universalis accommodæ duntaxat Gratiae participes, non verò Particularis sive Convertentis; tūm denique nonnullos saltem studiosè audientes legentes & meditantes Verbum Dei nondum conversos arbitratur, licet studiosè audiendō legendō & meditandō Verbum Dei jam tūm abstinere intelligentur à Malitiosa Resistentia, non studiosè audituri lecturi & meditaturi Verbum Dei, si malitiosè adhuc resisterent, sicq; non malitiosè resistentes talesque diu licet mansuri, conversi tamen non sunt.. *Tertium* denique *Divisionis membrum*, quō Gratiam Convertentem, Renovantem, Excitantem &c. dicis esse Particularem, næ, *Clarissime Domine Scultete*, hōc ipsō exactē nobis ὥμολογος es, eoque propria, ore saltem, vineta cædis, licet non ὥμολοφος, Particularem hanc non ex instituto, sed Judicio Dei esse statuens, quam homo

aut

C

homo suô vitiô efficit Particularem, ut,,
iis tantum competit, qui citra Determi-
nationem divinam libere & ex proæresi
à Malitiosa Resistentia abstinent dum con-
vertuntur, i. e. re vera activè non autem
merè passivè in Conversione se habent,
seque ipsos convertunt, quo d iterum vi-
netis Clariss. Viri inimicum imminet, cum
cæteris Lutheranis Statutum Protestantici-
cum solemne servaturi sacrum: Homi-
nem in Conversione se merè passivè, neu-
tiquam verò activè, habere gerereque.

§. XI.

TERTIA postremaque Auctoris As-
sertio triplex contra peccatum Solatium
propinat, sic fortean Particularismum
solatiô omni exclusura, nec non ostensura,
me saltem aliquâ ratione propria vineta
cæcidisse. At salvum persisteret Particula-
rismo Solatium, idque præ ipso Universa-
lismo, vinetaque mea omni ratione pre-
durabunt inconcussa, solô etiam auditô
triplici Auctoris Solatiô nunc explicandô:
Primum Celeberrimo Auctori *absolutissi-*
mum audit hominum beatorum, eoque
non hujus loci; *Secundum imperfctum*
impiorum, sed certè (quod necessariò

hic

sup

hīc addendum erat) non quā talium ,
quorum potius nullum , imo verò certis-
sima justissimaque Majoris graviorisque
condemnationis expectatio est , *Hebr.* 10.
vers. 29.; Sed solorum Gratiae non mali-
tiosè resistentium ; *Tertium perfectum*,
idque rursus juxta triplex conversorum
hominum genus tripartitum : *aliud* pio-
rum Viatorum in medio Vitæ cursu par-
tim de præsenti partim de futuro conditio-
natū, cuius fundamentum tām Particularis
Convertens , quām Universalis , Conver-
tentem Gratiam præcedens Gratia exi-
stit ; *aliud* piorum Comprehensorum pro-
pemodūm , & pio Vitæ epilogo vicino-
rum ; *aliud* denique dudum Piorum seu
diu in pietatis tramite ad pietatis metam
contendentium.

Ne hīc omnia ad vivum resecem , at-
que *vel* de imperfecto gaudio impiis jux-
ta placitum Autoris dando , quando ipsos
metus invadit , moneam : Neutquam ta-
libus Solatium competere aut illis ullo mo-
do dandum , nisi metui adjungant deside-
rium & propositum melioris aut in me-
lius mutandæ Vitæ , cūm impiis , etiam
vindictam Divinam metuentibus , pax eō-
que

que Solatium nullum sit *Esa. 57. vers. 21.*
Vel de perfecto primi secundique generis
conquerar, istud de præsenti non minùs,
quàm de futuro, esse perquam debile, ut
pote à conditione Perleverantiae humanæ,
soli humano arbitrio, saltem cœu determini-
nanti principio, debitæ, suspensum; cùm
etiam in ipso mortis articulo jam consti-
tutus homo adhuc dum apostasiæ metu
subjaceat, ab isto metu non nisi per mor-
tem liberandus; *Vel* denique de perfecto
Solatio tertii generis i.e. diu piorum, istud
notem, confundi cum primo; quandoqui-
dem etiam pius viator in medio cursu
idem esse possit cum diu pio, & diu pius,
in medio demum Vitæ cursu talis eva-
re; Ne, inquam, hæcce omnia ad vivum
sic resecem, non possum tamen non a-
amicissimo optimoque Autori sincerè con-
fiteri, me omnibus ab ipso in medium ha-
ctenus ad Usum Consolatorium allatis tūm
Assertionibus tribus, tūm trium assertio-
num Membris singulis & universis, bene
(utijubet) ponderatis, non tamen tam ocul-
atum evadere, ut videre & capere queam,
vel quomodo vineta propria ullâ ratione
cæciderim, *vel* quomodo Notatis meis ad
Usum

010

Usum Consolatorium litem Lutheranis intenderim, ut pleniū in hoc negocio animi nostri coire necesse habeant.

§. XII.

Quò verò posterius jamjam dictum tanto clariū illucescat, repetenda mea, DE CONSOLATIONE, ex Hypothesi Particularistarum, paucissimis tamen quantum fieri potest verbis, fuerit Sententia; Id quod eò libentius instituero, quia non tantum Tu, Vir Colendissime, mentem meam hīc loci non plenè assolutus es, sed vel ipsimet EXCELLENTISSIMI ERUDITISSIMIQUE COLLECTORES LIPSIENSES concisiū paulò eandem expressisse leguntur quam ut ab omnibus intelligi possit; quorum utrumque fortean meomet brevitatis nimium hōc locō studioſo, sicque in quādam obscuritatem prolapsi scribendi generi assignandum fuerit. Res autem tota, de qua nunc agitur ac disceptatur, hæc est: Incusatus Reformatorum Particularismus etiam hoc nomine a nonnullis novissimè est: Miseris peccatoribus Solatium omne adversus peccata per illum eripi, quod Solatium Universalismus vice versā usque largā manu admetiatur omnibus,

pro

pro quibus & doceat Christum mortuum esse, justitiaeque Divinæ plenissimè satisficisse, & Gratiam quandam Subjectivam prostare, quâ non malitiosè rejectâ omnes meritum Christi sibi applicare sicque æternum salvari queant. Particularismus flagitii istius, cuius agitur reus, ita ritè convinci putatur, quod is supponat ex Scriptura Sacra, ut sibi videtur, mortem Christi non pro omnibus sed pro solis electis factam, itemque non omnibus sed solis Electis Gratiam sufficientem (quæ eadem & determinans sit) a Deo concedi; Quò supposito, quando Solarium contra peccatum ex Redemptione per Christum facta, & ex Gratia Dei peccatoribus in Verbo Dei revelata venit petenda, neminem in Individuo sub his Particularibus propositionibus: Christus pro nonnullis tantum hominibus mortuus est, Deus tantum quosdam salvari vult, Gratiamque salutarem tantum quibusdam impertit, subsumere ita posse: Christus etiam pro me mortuus est, Deus etiam me salvum vult; cum ex puris Particularibus nihil sequatur. Quod si tamen nihilominus Subsumptiones hæ fiant, Enthusiasticas

siasticas eas habendas fore, utpote in Sacra Scriptura nec Formaliter & *κατὰ τὸ γένος*, nec Virtualiter & *κατὰ τὴν δύναμιν* s. per Consequentiam, revelatas. Non *κατὰ τὸ γένος* revelatas; quia de nemine in individuo dictum legitur, Christum pro eo mortem oppetiisse, Deumque illum salvum velle; non *κατὰ τὴν δύναμιν* & Consequentiam; quia à Particulari ad Individuum determinatum & definitum nulla datur Consequentia. Impactum Particularismo hōc modō flagitium, ita jure abstergendum in *Nota 4. ad Usum Consolatorium pag. 99.* & seqq. arbitratus sum, ut ostendere allaboraverim, salvā modō dictā sententiā Particularisticā, nihilomin⁹ peccatoribus Contritis, non certum duntaxat contra peccatū Solatium prostare, sed & majus, quam ex Universalismo peti potest, propterea Solatium Completum', uti istud Incompletum, salutandum. Quemadmodum enim ex Universalismo & Universalibus hisce Propositionibus: Deus vult omnes homines salvare, Christus pro omnibus mortuus est, non licet aliud concludere, quam, Deum etiam me velle salvum, quantum in se est, non autem, me actu salvum evasurum,

accipit

rum; cùm innumeros Deus salvos velit,
qui tamen æternūm damnantur; item:
Christum etiam pro me mortuum esse, non
autem, mortem Christi mihi actu ipsō
usu futuram & memet per & propter
mortem Christi actu esse salvandum; cùm
plurimi pro quibus mortem Christus obiit,
æternūm pereant; Ita contrà ex Particu-
larismo & Particularibus Propositionibus
hisce: Deus tantūm Electos vult salvari,
Christus pro Electis tantūm mortuus est,
licet præterea alicui (intercedente scil. seu
interveniente sincerō hujus efficaciq; Gra-
tiæ Divinæ desideriō, i. e. verâ pœnitentiâ
vivâque fide, cuius idem ille certus esse po-
test, docentibus id omnibus Protestantibi-
bus) concludere, non tantūm: Deus vult
me salvare, Christus pro me mortuus est;
Sed etiam: Ego, ceu pœnitens & fidelis,
actu ipsō salvus sum & salvabor æternūm,
Christi mors actu ipsō vitam æternam.
hīc inchoatō, paulò post consummatō mihi
conferet modō; quoniam quilibet, sive
Universalismum tantūm, sive Particula-
rismum tantūm, sive utrumq;ve simul ex
Scriptura Sacra certum esse credat, id ta-
men ex eadem Scriptura indubitatō statuit:

D

Omnem

Omnem verē pœnitentem & credentem
ex parte jam salvum esse, &, si talis re-
manet, (qualem mansurum, post assitum
succedente tempore Sanctitatis Habitum,
Particularistæ omnes ex Hypothesi sua
de Perseverantia Sanctorum, supponunt)
æternū salvandum esse. Sub qua Uni-
versali accommoda, si quispiam, de pœ-
nitentia & fide sua certus, subsumat: Ego
sum pœnitens, & credo verā vivāque fide,
utique infert legitimè arque concludit,
idque omnem citra Enthusiasmum, Com-
pletum hōc pactō Solatium, quale nem-
pe in his terris dari potest, animo suo al-
laturus: Ergo Ego salvus sum æternūmq;
salvabor.

§. XIII.

Deventum est ad QVINQUE PECULIA-
RES QVASDAM Criticæ mœ Concionatoriæ
ASSERTIONES, ulteriori Universalis &
Particularis Gratiae Declarationi oppi-
dō inservituras, quarum PRIMAM: Gra-
tiam Universalem Prævenientem, quā ini-
tium irresistibilem, quā progressum, resi-
stibilem statuentem, quāque peccator sibi
ipsi non defuturus nec malitiosè sese isti
oppositurus, vi Gratiae Prævenientis sal-
vari

vari potest, Considerationi tuæ num. 429.
subjicis. Hic verò, utut Assertionem istam
ex amore quô Universalismum à Parti-
cularismo separatum deperire deprehen-
deris pulcherrimam appellites, superse-
dere tamen haud debeo, quin ex amore
Christiano quô & Te complector & alios
prosequi, Christo jubente, teneor, per-
concter ex Te : Num Christianæ Chari-
tati, Humilitati, Modestiaeq; congruum
æstimes omnes istos, qui Assertioni no-
stræ communi minus adstipulantur, de-
lirorum confessim numero præmeditatè
adscribere? Id quod ex præcipitantia qua-
dam nimioque contra Dissentientes & a-
cerbiori zelo admisisse videri potes. De
cætero dispicendum mihi nunc venit
æstimandumq;, quâ ratione id ipsum,
quod dixeram, ad meliorem Evangelii
corum in hoc difficiili argumento Con-
fensem, unicâ quidem Thesi, sed compo-
sitâ, eoque prolixiori & integrâ paginâ 382
descriptâ accuratiis exponendum insti-
tuas. Expositio Tua accuratior in eo oc-
cupatur, ut enucleare attentet quô pacto
impiis convertendis rūm in accessu ad
viam que in Conversionem dicit, rūm

in progressu in eadem via Gratia Dei iis obvia, partim indeclinabilis, partim verò, idq; s̄æpiuscule actu ipso declinabilis obtingat, eoque istam modò irresistibilem hi, mox resistibilem experiantur. Afferis itaq;
Primo: Quotiescunq; Impii Verbum Dei legunt, audiunt probeq; meditantur, Præparentem Gratiam in iis excitare Intellectus quandam sanctam Epicrisin sanctumque Voluntatis Affectum, sibi indeclinabilia, quorum tamen incrementa postmodum declinare valeant, istiusque declinationis modum describis; Tum verò **Secundo** pergis afferere: Præparentis Gratiae incrementa indeptos sicque ex impietate sua nonnihil eluctatos Gratiam tamen Operantem i. e. Convertentem per malitiosam suam Resistentiam declinare posse, sicque prohibere, quò minus actu convertantur.

Agnoscam ego Accurationē Expositio-
nis Tuæ, dummodò, quod ad prius attinet,
duo aperueris. (I.) Quibus Viribus impii
ante Gratiam Dei Præparantem in Intel-
lectu quidem sanctam Epicrisin, in Volun-
tate autem sanctum Affectum indeclina-
biliter excitantem, non tantum ad lectio-
nem

nem & auditionem, sed & ad probam ejus meditationem accedant, NATURALIBUSNE & per lapsum corruptis? (At animalis homo non percipit ea que sunt Spiritus Dei, sunt enim ei stultitia, nec potest, & dūvarat, ista percipere; I. Cor. II. Et annon ipsa proba Verbi divini Meditatio tūm sanctam aliquam Intellectūs Epicrisin, tūm sanctum quendam Voluntatis Affectum jam tūm habeat? At quomodo hæcce talia ante Præparantem Dei Gratiam, postlimi- niō ista ipsa in impio excitantem, dabun- tur?) Num verò ad seriam Verbi lectionem & auditionem probamq; ejus meditatio- nem Virtute quādam SUPERNATURALI ac- cedant, Præparantem Gratiam antever- tente omnibusq; ad unum hominibus, vi Fœderis Gratiae, irresistibiliter seu inde- clinabiliter à Deo impertitâ, quam Præ- venientem Dei Gratiam adhuc dum jure saluto? (II) Quomodo hi ipsi legentes non tantū & audientes, sed & probè Verbum Dei meditantes simpliciter im- piis accenseantur? Cūm piorum esse e- nunciet Psaltes Legem Dei probè medita- ri Ps. I. v. 1. Quod reliquum est, & quō pactō homines convertendi tūm incre-

menta Gratiae Præparantis, tūm ipsam quandoq; Gratiam Operantem declinent, etiam post hanc obtentam sicque conversi, istius effectum, habitualem puta, Resipiscentiam seu radicatam Fidem nihilominus impedian, seque haud raro ad quævis contraria ubivis determinent, in hisce similibusq; quæstionibus pluribus determinandis facilior inter nos Consensus nullo labore exorietur.

§. XIV.

Ast postrema *Numeri tui quadringentesimi vigesimi noni* verba, quibus Resistentes contumaces nunquam conversum iri profiteris, procul dubio non de Resistentia contumaci momentanea, sed vel definiti vel indefiniti temporis spatiō descripta fuerint intelligenda, quō sensu attingunt Controversiam de **TERMINO GRATIÆ PEREMPTORIO**, utramq; hodie in pluribus Evangelico-Lutheranorum Universitatibus facientem paginam, & acerbiori profecto (quod omnes Cordatibonique dolebunt) animorum contentione agitatam, quam moderatio Christiana svadet jubetque. Quò ansam Tibi præbeam, *Vir Doctissime*, etiam de hac Con-

Controversia, nostris perquam cognata,
 animi Tui Sententiam depromere, non
 te silebo, qualem ego, occasione Evange-
 lii Dominicæ decimæ post Trinitatis ex
Luca cap. XI. v. 42. pro Cathedra Ec-
 clesiastica nudius tertius à me tractati,
 Conciliationis dissidentium opinionum,
 citra factam earum mentionem ullam,,
 forte non incommodam omnino viam
 meditatus sum, quâ , *quantum ad Deum*
attinet, hunc quidem Gratiam suam ho-
 mini lapso, ut lapso, neque præterea do-
 natæ à Se post Lapsum Gratiæ malitiosè
 & pertinaciter resistanti, sufficientem ad
 Conversionem semper& ad finem usq; vi-
 tæ indulgere & continuare eandē autumo,
 hocq; ipsum per Visitationis temp, à Chri-
 sto in Evangelio denotari, quô scil. & quo-
 usq; homini lapso intelligere datum est ad
 pacem suam facientia: Neque enim *positi-*
vè vellem intellecta vel de *Positiva qua-*
dam, *Directa* scil. Dei Actione, explicata,,
 quæ de Induratione Dei, de Traditione in-
 perversum sensum, de Excæcatione &c.
 in Scriptura S. leguntur, cuncta potius
θεοπεπτῶς siveque *Negative* interpretan-
 da); *Quantum vero ad hominem attinet*,

D 4

qui

qui in impietate contumaciter persistit,
Divinamque Gratiam malitiose aspernatur
ac aspernari pertendit iram Dei hoc
pacto sibi indies coacervandō, hic, quō
diutiūs impietati operam navat, eō ad
Impietatem pronior evadit, ad vitā verò
emendationem inproclivior ineptiorve,
sicq; Gratiam Dei, se, postquam lapsus est,
prævenientem, & lapsus malitiæ emen-
dandæ sufficientem satisque imò abund-
dē validam, magis magisq; non qui-
dem in se ipsa infirmat atque invalidio-
rem seu minus efficacem reddit, interim
opponendō huic majorem procedente
tempore malitiam, quām cui auferendæ
indulta initio fuerat, tandem respectu
adauctæ cumulataeq; malitiæ suæ experi-
tur insufficientem emendandæ, & Statum
illum subit, seu illud *vix*, quō in Evange-
lio τὰ πρὸς ἑπτηνην suam pertinentia dicun-
tur ab oculis ejus occultata, ut, nisi Ex-
traordinariā quādam Deus Gratiā huic
homini succurrere dignetur (quod ipsū
non certe semper, et si quandoque pro
beneplacito suo facere Deum svadet af-
firmandum exemplum Manassis in Ve-
teri, Latronis in Novo Testamento, Pa-
rabola

rabola etiam de prodigo perditōq; Filio
Luc. XV. de cætero verò permanente im-
 motō & ordinariè obtenturō effatō Christi
Matth. XXV. v. 29. *Habenti dabitur, & qui*
non habet ab eo auferetur etiam id quod ha-
bet) Peremptorius Gratiæ Sufficientis
 Terminus homini isti incumbat, h. e.
 Gratia Divina, quæ antehac quidem ma-
 litiæ ejus non tantum innatæ, sed & per-
 aliquod temporis spatum adscitæ suffici-
 ebatur tollendæ, eidem ad Deum rursus con-
 vertendo incipiat fieri insufficiens, insuf-
 ficiens inquam adauctæ accumulatæque
 nequitiaæ impediendæ inhibendæque, cui
 Insufficienti Gratiæ cùm juxta ordinari-
 am Dei cum homine convertendo agen-
 di methodum, nullæ à Deo suppetiæ no-
 væ ferantur, Gratiæ Sufficientis Termin,
 Peremptorius hujusmodi homini ingru-
 isse intelligitur, & ipse cum Pharaone vas
 iræ Divinæ à semet tamen ipso ad interi-
 tum plenè coagmentatus *Rom. IX. v. 22.*
 Habes sic Cogitata mea de Termino Gra-
 tiæ Peremptorio subitanea, & qualia Con-
 cionem meditanti habentiq; in mentem
 venerunt, Tibi verò soli quasi in aurem
 dicta, ut & tua vicissim eliciam, alioquin

Doctissimorum Virorum Disceptationib,
neutquam intercessurus, utpote Arbitr^e
eorum nec constitutus, nec constituen-
dus.

§. XV.

Ad SECUNDAM ASSERTIONUM mea-
rum SPECIALIUM, de quibus Tibi arbitra-
ri placuit, nunc pergo, hisce meis numer-
o tuō 430. à Te relatam verbis: *Ea animi
persuasio falsa esse nunquam potest, Christum
verè contritos veniaeque cupidos homines
redemisse; extantissimis enim Christi,
qui ipsissima Veritas est, innititur testimoniis Matth. 5. v. 4. cap. II. v. 48.* Hanc
Assertionem eāque contentam Particula-
ristarum Redemptionis suæ cognoscendæ
methodum, quando isti Completum ex
Hypothesi sua Solatiū sibi applicare posse
à me dicti sunt, plurimum commendas,
& Pictetianæ longè præferendam ducis,
sed eō tantum animō (quod haud obsecu-
rō indicio constat) ut vel mihi, vel *pl. Re-
verendo Pizzeto*, vel Particularistis omni-
bus, quin nobis universis ægriūs facias,
Methodō isthac licet verissimā Particu-
larismum tamen penitus conculari scri-
bens. Probaturus idem, ita argumen-
taris

taris: *Omnes verè contriti venieque cupidi à Christo redempti sunt, Omnes illi temporarii credentes, qui Verbum Evangelii læto cum assensu recipiunt & mundi inquinamenta verè fugiunt, sunt verè contriti ac veniae cupidi, Ergo, Omnes hujusmodi temporarii à Christo redempti sunt.* Majorem dicis meam; Minorem confirmare anniteris triplici mediò Terminò, primo, quòd lætus assensus Temporariorum credentium necessariò præviam habeat Contritionem conjunctumque veniae desiderium. Secundo, quòd Judas fuerit verè contritus. Tertio, quòd idem de Saulle affirmandum sit; Unde porrò argumentaris: *Quisquis animum habet verè contritum, is verè credit in Christum; Temporarii ante descripti habent animum verè contritum, Ergo Temporarii credunt in Christum.* Conclusionem posteriorem vel solam, vel cum priori Conclusione conjunctam, eam putas, quâ Particularismus penitus conculcatur, eandem ex mea pro Particularistarum completa sermet solandi ratione demonstranda adhibitam etiam eam, quâ Ego meòmet indicò pereo, ut resurgam plenâ Evangelii luce perfusus.

§. XVI

§. XVI.

Verūm , ne hīc prolixior sim , *primo* , singularum duplicitis argumentationis propositionum tūm ambiguitate , ex data alia aliaque Temporariorum Credentium in prioris Syllogismi Minorī & posterioris Majorī , Descriptione , tūm ex ambiguitate hac subortā Propositio-
num omnium Veritate dubiā explican-
dis . *Secundo* , uberiori quādam Dilu-
cidatione , prioris Syllogismi Minorem
neutiquam probari exemplis Judæ & Sau-
lis , idque dupli nominē . I . Quòd neu-
ter horum verè contritus fuit post pecca-
ta admissa , alioquin , juxta Majorem Syl-
logismi tui posterioris , etiam uterque ve-
rè in Christum credidisse eoque salvatus
dicendus , id quod de Juda manifestò fal-
lit , de Saule saltem dubium valde existit . II .
Quòd , ex concessa licet vera utriusque
Contritione , nullo modo infertur prioris
Syllogismi Minor hæc : Omnes illi
Temporarii credentes , qui verbum Evan-
gelii læto cum assensu recipiunt & mun-
di inquinamenta verè fugiunt , sunt verè
contriti & veniæ cupidi ; quæ tamen Minor
legitimè inferri posset ex concessa Judæ
& Sau-

& Saulis vera Contritione, si horum duorum concessa vera Contritio sufficiens Medius Terminus esset probandæ modò dictæ Minoris Propositionis: Nam legitima tum demum Consequentia, i. e. inferentis & illati connexio est, quando Antecedens non potest esse sine Consequente; Sufficiat hâc vice ostendisse: Neutrius Syllogismi Conclusionem ferire Particularismum ullô modô eatenus scilicet, quatenus ex hac Completum Solarium hauriri posse assertum est (id quod unicè hâc vice ad rem facit) nedum Particularismum eatenus conculcari penitus: Nam utut certi Temporarii credentes, omnes illi scilicet qui verbum Evangelii lætô cum assensu recipiunt & Mundi inquinamenta verè fugiunt, a Christo redempti iidemque etiam credere in Christum concedantur, quî hoc obstabit quo minus quispiam verè contritus veniamque cupidus pro præsenti saltem certus esse possit ex vera Contritione sua veniamque cupiditate seria, se à Christo redemptum in via salutis versari, imò salutis initium jam tum assecutum, eoque quî obstabit, quo minus Completô Solatio pro

pro præsenti possit perfundi, quin & pro futuro, non obstante Temporariorum dictorum Contritione Fideque veris à se concessis, aliquando tamen defecturis inde que salutem æternam haud impetraturis? Quandoquidem Particularimus, concessâ etiam Temporariorum dictorum tûm verâ Contritione, tûm Fide verâ, duplēcē tamē præterea Contritionem veram duplēcēque Fidem veram supponit, saltem cum nonnullis supponere integrum ipsi relinquitur, alteras minoris Gradūs & radicis vacuas; majoris alteras gradūs & radicis participes, utrasque discernibiles (Huc pertinet Distinctio Scholasticis pariter ac Practicis familiaris multūmque frequentata inter CONTRITIONEM & ATTRITIONEM, videat. *Alphonsus Antonius de Sarasa in Arte semper gaudendi Tom. II. Tractat. 12. & 13.* itemque Distinctio Veræ Fidei in TEMPORARIAM & SALVIFICAM apud Antonium Cre-gutum in *Bijurim seu Elucidationibus Theologicis p. 368.*) Ut adeoque Particularista quispiam, de sua Contritione Fideque radicatis certior, eitam de futuro Completum obtainendæ salutis Solatium conci-

concipiat, et si sciat concedatque, multos
verè contritos credentesque (h. e. omnes
Gontritionem Fidemq; veras quidem, at
minoris tantum gradūs, consecutos) si
gradus major minūs sequatur, æternūm
esse perituros, vel saltem æternūm peri-
re posse. Cæterūm ostensō hōc, in pro-
pabulo est non Strimesium, pro Particu-
laristarum Solatio Completo ex Hypothesi
eorum hauriendo contra Evangelico-
Lutheranorum nonnullorum incusatio-
nes disputantem, suōmet perire judiciō, ut
plenā Evangelii luce perfusus resurgat,
sed *Reverend. Dn. Scultetum* omnem ar-
gumentandi laborem, quō Disputationem
istam Particularismi penitus conculcati
ad aliorum indignationem Strimesio con-
ciliandam arguere sustinuit, perdidisse
penitus frustraque insumpsisse, in poste-
rum ad majorem in Strimesium (qui
non uno nomine Scultetum suspicit ac
veneratur) amorem favoremq; surrectu-
rum.

§. XVII.

Nunc ad postrema Commentationis
meæ in *Usum Consolatorium Verba hæcce*
(*Durum est & cum analogia Fidei parùm*
confonat)

consonat, POTENTIAM credendi & salutem
 consequendi Gratiae Divinae, Universali
 illi; at Fidei Salutisq; ACTUM Determina-
 tionis humanae, i. e. Repugnancie unius ho-
 minis præ alio transcribere) i. e. ad
 ASSERTIONUM MEARUM SPECIALIUM
 censuræ tuæ submissarum TERTIAM re-
 sponsum paras, Vir Doctissime, Nume-
 ri, tribus nempe 431. 432. 433 Universalis-
 mi tui Effigiem completam efformandō,
 & per plurimas Quæstiones datasq; ad has
 Responfiones tuas ab omni uti credis duri-
 tie, cuius à me insimulatur, vindicandō.
 In Compendio dicam, quid in Schemate,
 hoc tuo prolixiori quæftionumque mul-
 titudine perturgido adhuc jure deside-
 rem, quo ve pacto Universalismum tuum
 duritiei omnino, ejusque non simplicis,
 reum deprehendam. Reus duritiei est,
 tūm in Ingressu seu Initio; tūm in Progres-
 su seu Medio; tūm denique in Egressu seu
 Fine. In Ingressu, quando attentos studio-
 séque ponderantes Verbi Divini Auditores
 comminiscitur ante ullam collatam iis
 Divinam Gratiam propriè & *κυριωτέω* sic
 dictam neque cum donis Creationis seu
 Naturæ confundendam (Vide præter,
 para-

Paragrapho 8mo allegata etiam numerum
Tuum 431. paulo post initium & num.
433. *Questione IV.*) Id quod à Semipelagianismo ægrè absolví potest, illo scilicet
quò statuebant Semipelagiani: Auxilium
quidem divinum ad omne Opus bonum
requiri, at præcedere semper aliquod hominis imperfectum bene agendi studium,
studiosam attentamque ponderationem
Verbi Divini, illustrioris item revelationis Divinæ, quam quæ per Naturam facta est, studiosam investigationem, Conf.
Gerh. Joh. Voss. Histor. Pelag. Lib. 3. Part.
2. *Ihes. XI. p. 352.* Hinc rectè MAGNUS
CALIXTUS locò à me *Critic. Concionat.*
pag. 103. allegatò difficile ait Sententiam
hanc de Universali Gratia Communem
ita proponere, ne quid Pelagianismo affine habere videatur. *In Progressu*, quando Conversionem hominis citra Determinationem Divinam fieri arguit, soli interim Deo in sacris Literis transcriptam,
vide retro §. 7. Dictu durum hoc durò aliò cumulat, quando hominem in Conversione se merè quidem passivè habere admittit, interim liberam & ex Proæresi profectā abstinentiā à malitiosa Restistentia

eandem in Conversione exercere sustinet
diutio loco, nec non numerò 432, in med. ubi
contendit: Relinquendam esse viatoribus in
salutis negotio Indifferentiam ad utrumque
oppositorum, quā per viam aliquō modō
arduam contingat illis Gratia convertens,
justificans, adoptans, coronans; Adsuisse
indifferentiam hanc primitus in Protoplatis
& Angelis, adesse etiam nunc in Conversis;
adesse quoque in ipsis Convertendis
pag. 387. quod ipsum ingeminat repetit-
que in fine Numeri 433. Viatores oportet
in pietatis exercitiis indifferentes esse ad
utrumque oppositorum; beatos cœli cives
consummatissima sua sanctitas determinabit
intrinsecè ad bonum, ista determinatio bo-
num est Cœlestis patriæ, pag. 389. IN EGRES-
SU tandem, quando gloriolam saltem
quandam Conversis præ Non-conversis,
propter Non-resistantiam malitiosam, ad
quam isti semet præ Non-conversis
determinant ipsi, propriam concedit, si-
milem ægro composite sese, dum medi-
camentū accipendum est, gerenti præ æ-
gris immorigeris. Ita enim Clarissimus
Scultetus: Laus quidem aliqua debetur æ-
gro composite se gerenti præ ægris immorigeris,

medica-

medicamenta Sanitatem operanti ad declinantibus; Ast Sola medicamenta Sanitatem operantia discernunt ægrum Sanatum ab ægro pereunte, velut causa Sanitatis efficiens Num. 431. in fine, non advertens disparitatem causæ: Nam, dum ægri morigeri actio laudē quandam meretur in re temporali & ad hanc vitam spectante Civilem sive Mundanam; actio Convertendi alicujus designata per liberam à malitiosa resistentia abstinentiam dicenda est mereri Spiritualem cœlestemque laudem in re Spirituali ad vitam æternam pertinente, quin ratione ipsius vitae æternæ initii I. Joh. III. v. 2. idque omnino contra Apostoli indignantem quæstionem: *Quis te,* (in Spiritualibus puta) *discrevit* I. Cor. IV. v. 7. ejusdemque Apostoli decisionem hanc: *Ex Gratia salvati estis per Fidem* (in Conversione donandam) idque non ex vobis, *Dei donum est, non ex Operibus,* ne quis gloriatur Eph. II. v. 8. 9. Utinam hoc tandem discant Lutherani, & improbi sui dissidii stirorumque perversarum contentionum optatum faciant finem; His verbis Sculpetianis, in Reformatos promiscue omnes dictis, annon jure multò potiori liceat

at mihi adversus Lutheranos uti (quæ tamē in istos neutiquām dicta volo) ipse met Vir Clarissime judices, maximē, cū Reformati, plurimi saltem, Sententiam Lutheranam tolerandam statuant; Lutherani vice versā ut plurimum Sententiæ Reformatorum improbi dissidii perversarumq; contentionū notā inurere nulli vereantur.

§. XVIII.

Ne verò Vir Optimus, ob duram non unō nomine Sententiam suam, à Reformatis nondum admissam, hos adeò duri ter imposterum tractare cum aliis per gat, Schema Universalismi nostri, per quæstiones nonnullas, Quæstionibus suis parallelas, efformare haud pigrabor, quo dehinc aestimare ipsi integrum sit, Sententiam nostram tantam excandescentiam suam, quantam prodidit, non promerer. I

Quærimus: Unde hoc, quod hi, illi, isti resipiscunt præ innumeris aliis? *Resp.* contingit illis Gratia Operans sive Convertens. I

Qui illis hæc contingit, non autem aliis omnibus promiscue? *Resp.* Quia itabene placitum est coram Patre cœlesti, qui habet potestatem faciendi de suo, quod ipse vult.

Poterantne tamen omnes Gratiam istam Operantem & Convertentem consequi, æternumq; salvari? *Resp.* Poterant.

Quomodo? *Resp.* Si Gratiam per Verbi prædicationem impetratam tantam, ut à malitiosa Resistentia abstinere potuerint, non turpiter repudiassent.

Sed verò multi non audiunt unquam Verbum? *Resp.* Hi tamen per Gratiam Prævenientem, vi foederis Gratiæ Universalem, h. e. per illuminationem à magno Mundi lumine, omni in mundum venienti indultam, sese principiis Naturæ libus seu *nōn valens evolutus*, quibus ista illuminatione procurante Deo jungitur, convenienter gerere se poterant, quòd ipsum si fecissent, habentibus datum fuisset plus & ad prædicationem Evangelii audiendā à Deo admissi fuissent, Auditoribus Evangelii sic pares redditi.

Quô pactō his redditipares? *Resp.* Hoc pactō, quod non Viribus Naturæ, sed Viribus Gratiæ attendere potuissent ad Verbum illudq; studiosè ponderare, studiosè verò attendentes & ponderantes cum gaudio idem Viribus Gratiæ recipere.

Cujus Gratiæ Viribus? *Resp.* Gratiæ

E 3

Præ-

Præparantis, Auditoribus verbi omnibus communis.

Ulteriusne etiam omnibus progrediveretur licuisset? *Resp.* Imò verò licuisset: Potuissent enim per rectum Præparantis Gratiae usum impetrare Gratiam Convertentem post Convertentem, Cooperantem, Confirmantem. Horsum faciunt verba Synodi Dordracenæ à Te citata Vir Dotissimè in fine numeri 432ti, Articulò de hominis Conversione Secundò haud tamen reperiunda: *Quò nos Officium nostrum facimus promptius: Hoc ipso Dei in nobis operantis beneficium solet esse illustrius, reddissimeq; ejus opus procedit, cui soli omnis & mediorum & salutaris eorum fructus atque efficacie debetur Gloria in Seculum, Amen.*

Num verò prorsus nemo Præparante Gratiâ ita probè utitur, ut consequatur Convertentem, hancque consequentes reliquas? *Resp.* Nemo, quantum quidem novimus: Nam ita Apostolus de toto Genere humano vi novi Fœderis in Gratiam recepto inque Judæos & Ethnicos distributo, quærit: *Quid igitur præcellimus? nullo modo: Nam ante criminati sumus*

mus, & Judeos & Gracos esse sub peccato, sicuti scriptum est: Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Rom. 3. à vers. 9. usque ad 30. inclusivè.

At verò, nullo modo verosimile est, omnes omnino homines post conces-
sam Potentiam credendi malitiosè resi-
stere Spiritui Sancto, atque adeò quo-
dam tantùm eorum ex absoluto benepla-
cito electos esse ad fruitionem Gratiae De-
terminantis seu Convertentis, hos ipsos
determinari ad id, ut abstineant a mali-
tiosa resistentia & consequenter conver-
tantur: Quis enim persuadeat sibi, nem-
inem plane esse mortalium, qui sequatur
ductum Supernaturalis ad resipiscentiam
proclivitatis à Deo concessæ, sicque à
malitiosa Resistentia citra Determinatio-
nem Divinam vel tandem desistat? *Resp.*
Ad hanc quæstionem Clarissimi Dn. Scul-
teti jam tum ex professo respondimus
suprà §. 8. Sic dedimus delineatum bre-
viter Universalismi Reformati Schema,
quò probè expensò adduci citra omnem
moram poterunt Lutherani, ut nullam
de Conversionis negotio h. e. de Articu-
lo Tuo Henotico primo ejusque Poris-
mati-

matibus litem Reformatis Universalistis amplius moveant, quin in ipsis etiam minutissimis abstrusissimisque quæstionibus si non nobiscum pulchre concordent, saltem non hostiliter amplius nobis adversentur.

§. XIX.

Absoluta nunc sunt de Universali & Particulari Dei Gratia Lutheranos inter & Reformatos Universalistas disceptari solita, restant adhuc Duæ ASSERTIONES meæ, ad Secundum à te, *Dodif. Sculte-*
te, constitutum Articulum Henoticum, de Perseverantia Sanctorum pertinentes, quas *numeris* denuò *tribus* expedire sustines. In *Priori* verbis propriis dixeram: Peccatores præfractos ex malitia & contra conscientiam lapsos relapsosque evidentibus validisque rationibus contundendos & expugnandos esse, extenuationi exaggerationem peccatorum opponendam ex præcepto pœnam denunciante, ex pœnarum animæ pariter ac corporis, temporalium ac æternarum descriptione certitudine & imminentia. In *Posteriori* verò verbis beati *Gaußenii*: Duas esse Religionis Christianæ partes, quarum

quarum altera eò spectaret, ut Fideles in Gratia Dei & misericordia placidè acquiescant; Altera verò eò pertineret, ut salutem nostram cum timore ac tremore operemur; quæ duo Apostolos arctè copulasset *Phil. II. vers. 12. Cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem operemini: Nam Deus est qui dat Velle & Perficere secundum benefacitum suum.* Illum demum summum Theologum dicendum esse, cui Deus loca citata intelligere & conciliare dedisset.

PRIORI ASSERTIONI MÆ Perseverantiam Sanctorum ex ea oppugnaturus, ita opponis: *Quibus in Statu anaptoseos denuncianda imminentia æternae pœnae sub conditione possibilis impœnitentia, eorum reparatio non est absolute certa, & illi possunt in peccatis persistere, æternumque perire. Atqui relapsis in Statu Anaptoseos denuncianda imminentia æternae pœnae &c.* Ergo. Majorem ipsem et haud firmo omnino talo insistere subodoratus, exceptione hâc ex mente Reformatorum limitandam censes: *Quibus in Statu Anaptoseos denuncianda imminentia æternae pœnae sub Conditione possibilis impœnitentia, TUM*

RESPECTU DEI, impoenitentiam quorumvis relapsorum vi Divinæ Electionis non inhibituri, TUM RESPECTU IPSORUM RE-LAPSORUM, per se impoenitentie possibili-tati subjacentium, eorum reparatio non est absolutè certa illique possunt in peccatis persistere æternūmque perire. Sed Limita-tionem hanc ludicram ridiculam meru-in-que expelvi fulgur crimiraris. Ergone, ludicra tibi ridicula & ex pelvi fulgur De-nunciatio æternæ mortis nomine Dei à Nathane Propheta Davidi viro secun-dum cor Dei vitam plerumque institu-enti eoque radicatâ fide prædicto, facta, postquam adulteriô se & homicidiô con-tra Conscientiam commaculasset 2. Sam. XII. v. 7. etiam si Davidis reparatio & pœnitentia tūm Deo omniscio tūm Na-thani ex revelatione Dei absolute certa esset vers. 13, nec David unquam, respe-ctu Decreti permissionisque Divinæ, per hunc eundem Nathanem illi Filioque Salomoni factæ 2. Sam. VII. vers. 14. 15. 16. in peccatis persistere æternūmque perire posset? Hujusmodi Denunciationes æternæ pœnæ iis dictæ peccatoribus, qui respectu Dei ejusque Electionis in-pecca-

peccatis persistere nequeunt, æternumque perire, sunt partim indicationes pœnarum per peccata sua promeritarum, partim incitationes ad tanto celeriorem pariter ac severiorem poenitentiam, eoque nomine non ludicræ ridiculæ & ex pelvi fulgura. Cæterum ad Minorem quoque Argumentationis Tuæ noveris, Laplos relapsosque contra Conscientiam duorum generum esse, *vel* tales qui Plenô Voluntatis Consensu in peccata ruunt; *vel* alios qui passione aliquâ affectuque, reclamante Spiritu & carne prævalente, in similia peccata secundum quid saltem abripiuntur, verbô, Voluntatis Consensu quidem, at Incompleto, peccant. Posteriorus genus constituunt radicatâ Fidei prædicti, nunquam ex potentia Dei ab eo totaliter relapsuri, sed ad vitam æternam servandi; Ad prius verò genus quivis alii dicto modô relapsi pertinent. Hoc autem solum, non istud genus eorum lapsorum relapsorumque est, quos *Concionatoria nostræ Criticæ allegatâ pag. 74.* indigitamus non tantum evidenteribus validisque rationibus contundendos & expugnandos, verùm eorum extenuationi quo-

quoque peccatorum suorum opponendam istorum eorundem peccatorū exag-
gerationem ex præcepto pœnam de-
nunciante, ex pœnarum animæ pariter
ac Corporis æternarum certitudine &
imminentiā. Patet hoc ex Descriptione
lapsorum relapsorumque ibidem præmis-
sa, quâ dicuntur præfracti, ex malitia
& contra Conscientiam (absolute & ci-
tra restrictionem) Lapsi relapsique, præ-
tereaque peccata sua dissimulantes, ex-
tenuantes, à se Culpam amoliri conati,
modis innumeris tergiversati, & nulla-
non *κρητοφύγηται* conquirentes. De his
ergo explicatā Minori tuā, utpote de qui-
bus solis assertio mea agit, Conclusio Syl-
logismi tui prioris nec me, nec Perseve-
rantiam Sanctorum Reformatam ulla-
nus tangit. Pergis verò, Vir Clarissime,
non quidem amplius directè contra Per-
severantiam, interim contra Perseveran-
tiæ Doctrinam & Prædicationem ita ar-
gumentari: *Quibus in Statu anaptoseos de-
nuntianda est imminentia æternæ pœne, iis
in Statu pietatis non est inculcanda indecli-
nabilitis lapsorum reparatio & salutis poti-
undæ persuasio indubia.* Minorem subti-
-cip

ces, quæ, si hæc sit: Atqui lapsis in peccata contra conscientiam Consensu Voluntatis Incompleto, Spiritu renitente & carne prævalente, denuncianda imminentia æternæ pœnæ est, jamjam negatam illam memineris & respectu folorum Plenô Voluntatis Consensu lapsorum & relapsorum admissam. Quanquam præterea Major ita recte limitetur: Quibus in Statu anaptoseos (*Relapsus* potius) denuncianda est imminētia æternæ pœnæ applicative, iis in Statu pietatis non est inculcanda indeclinabilis relapsorum reparatio &c, puta itidem applicative; interim quo minus in Thesi iis denunciari possit quorundam relapsorum reparatio indeclinabilis, nihil prohibet; Alias non licitum fuerit *Clarissimo Sculteto* Electorum Lapsorum Perseverantiam Finalem reparationemq; eorum eatenus indeclinabile denunciare in Thesi suisq; prædicare, idq; eò, quod iisdem ex malitia Lapsis, totaliterq; Statu Salutis ejetis juxta Hypothesin *Clarissimi Sculteti*, imminentia æternæ pœnæ denuncianda fuerit. Ita verò limitatâ Majori, rursus neganda Minor, de Lapsis contra Conscientiam Consensu Voluntatis Incompleto, Spiritu reni-

renitente & carne prævalente, subsumpta; utpote quibus in Statu Relapsūs imminētiam pœnæ æternæ absolutè & simpliciter denunciandam esse nusquam à nobis dictum admissumq; est. Licet interim absurdi nihil habeat, Deum Electis suis Filiis in verbo suo, per Ministros suos, ex Paterna *σορῆν* præservationem eorum, potentia suâ nīsam, prænunciare, iisdem tamen in graviora prolapsis peccata imminētiam æternæ pœnæ (cui pœnæ vel per ipsa sua graviora peccata filii ejus reverâ imminent maxime in se ipsis spectati) eō animō denunciare, ut intelligent in quām periculoſo Statu versentur, seq; ex eodem, vi Seminis Divini in iis remanentis *I. Joh. III. v. 9.* per celerem pœnitentiam extricent; Tantóq; minus quicquam absurdi id ipsum habet, si dicamus, Deum *αὐθεωτωταθως* cum suis sic agere. Nihil enim vel minimæ absurditatis alit, quod Tu Vir Celeberrime absurdissimum autumas *435. circa finem*: Patrem quempiam, ex insigni erga probum filium amore, de quo ex vita diu bene acta certissimam fiduciam concepit, eum nunquām non frugi mansurum, vel, si alicubi

bi offendat gravius, mox tamen ad fru-
gem rediturum, absolutè certum redde-
re de hæreditate Paterna; eundem tamē
post commissum Scelus quoddam, per
exhæredationis denunciationem per-
terrefacere, quò tanto citius delicti eum
pœniteat cumque Patre in Gratiam redi-
re allaboret.

§. XX.

POSTERIOREM ex *Gauſſenii* libello à
me allegatam ASSERTIONEM hujusmodi
credis, ut vel per ipsam istius allegatio-
nem Tibi videri debeam animadverte-
re, quām ægrè posterius Comma Pau-
linum: *Deus est, qui dat velle & perficere*
secundum beneplacitum suum, cum priori:
Salutem vestram ipsorum cum timore ac
tremore operemini, secundum Reformatas
Hypotheses, concilietur; cuius Concilia-
tionem, secundum has Hypotheses, om-
nium Hominum & Angelorum vires su-
perare, quin plane impossibilem esse ar-
guis. Ego verò non possum satis demira-
ri, tūm ex nuda allegatione mea Assertionis
Gauſſenianæ Clarissimo Viro me videripo-
tuisse tale quid animadvertere, cūm po-
tius exinde tale quid non animadverte-
re vi-

re videri debuisse, utpote non allegaturus, nec facile præsumendus allegare, quod cum Hypothesibus Reformatis a grè, imò nullo modo conciliabile animadvertissem; *tùm* verò, duorum Commatum Paulinorum Conciliationem, secundum Hypotheses Reformatas, & Hominum & Angelorum vires superare, imò verò nullò prorsus modò possibilem dici, quæ tamén adeo multis, iisque perquam obviis modis juxta Hypotheses Reformatas conciliantur. Quid enim? Si duorum Commatum Paulinorum alterutrum hunc Sensum esse dicam, *Vel:* Cum timore & tremore Salutem vestram ooperemini: neque enim quando salutem vestram quocunque modo operamini, ni miùm vobis placere aut opinari debetis, Vestram ipsorum hanc esse principaliiter operationem, imo verò potius cogitare, Deum esse qui in vobis operatur non Posse duntaxat Velle & Perficere, sed ipsum quoque cum Velle *tùm* Perficere, idque secundum beneplacitum suum. *Vel:* Salutem vestram cum timore & tremore diligenter ooperemini, idque Gratitudinis in Deum ergo, quòd ille

ille & postquam ille solus & Velle vobis dedit, ut nolueritis amplius Gratiæ Dei malitiosè resistere, & ipsam Actualem Non-resistentiam, ut actu desieritis resistere, quin convertendò vos tūm Voluntatem vestram emendavit, tūm Opus Voluntatis vestræ, sicque hōcipsō & Velle vobis dedit & Perficere. Quid quæso in Conciliatione alterutra vel analogiæ Fidei Scripturæque Sacræ, vel Hypothesibus Reformatis adversum offendi poterit? Neque verò *B. Gaußenius* Conciliationem Commatum Paulinorum præcisè theoreticam ejusmodi adeò difficilem censuit idq; juxta Hypotheses Reformatas, ut, qui eam instituere ritè juxta illam posset, summi Theologi titulō dignus ab eo habendus sit; sed potiùs, ut istum optimum Conscientiæ Institutorem censemendum dicit, qui absolute & non juxta certas Hypotheses suas, duas istas Sententias Apostolicas, specie oppositas, re consentientes, ad Ecclesiæ Statum & tempora, quibus vivit, applicare noverit; ita etiam illum summum Theologum, cui absolute & citra respectum ad Hypotheses alicujus Sectæ quascunque Deus

F

intel-

intelligere easdem ritè ac conciliare dederit. Vid. Gauſſenius ipſe pag. mihi 161.

At instas I. Quodſi Deus id dat cuivis pio per Determinantem Gratiam modō indeclinabili, ut perpetuo velit in Christum credere ejusque præceptis obsequi, ut item id, quod piè vult, actu præstet perpetim; ſumma certè insania fuerit, quenquam piorum metuere ullam Dei iram ac vindictam, ullam jacturam Fidei vivæ, Spei, Charitatis. Resp. (1) Apostolica Commata non ſolis piis perseveraturis inter Philippenses, ſed toti cœtui ſcripta ſunt, in quo etiam tales erant qui ſalutem ſuam non cum timore & tremore operabantur, ob id admodum nendi. (2) Nullus Reformatorum unquam dixit: Cuivis pio Deum id dare per Determinantem Gratiam modō indeclinabili, ut perpetuò velit in Christum credere ejusque præceptis obsequi, ut item id, quod piè vult, actu præstet perpetim; ſic enim diceret: Deum pio cuivis id dare per Determinantem Gratiam modō indeclinabili, ut nunquam peccet vel labatur. Illud ſolummodò docent Reformati ex Scriptura Sacra, Primo: Deum per Determinantem Gratiam indeclinabili

bili modò id dare Suis, ut actu convertantur, vel actu Suos convertere; Secundò: Conversis nonnullis, iis scil. qui multis Fidei, Spei & Charitatis actibus liberè & sine Determinante Dei Gratia, non tamen absque Excitante, Conservante, Cooperante, haud determinantibus, radicem in pietate egerunt, non item aliis verè licet conversis, id dare, ut per Determinantem Gratiam indeclinabili modò nec Totaliter, nec Finaliter, Fide & Gratiâ Dei excidant, utut interea, prominori vel majori pietatis Studio suo libero, vel crebriùs vel rariùs, vel graviùs vel leviùs peccent, partialiterque variâ Dei Gratiâ & favore excidant, cùm nempe post Conversionem à Deo solo perfectam, & plus vel minus boni agere, & plus vel minus mali omittere in ipsorum arbitrio per Gratiam Dei Convertentem emendato & per Gratiam Dei Excitantem ac Cooperantem sustentando sublevandoque habeant repositum.

Instas II. Si vero Deus permittit quidem Conversos quam multos relabi in peccata Malaria atq; in Statum irae, ait relapsis universis vel tandem indeclinabili modò per Deter-

minantem Gratiam dat , ut velint denuò
resipiscere , vanissimum profectò fuerit
quemquam Conversum & Relapsum metue-
re sibi à Gehenna . Resp. Instantia hæc
quanta quanta partim παρεπυνέται &
falsis Suppositionibus , partim fallaciis
Compositionis & Divisionis etiam Ignor-
ationis Elenchi laborat . (1) Deus non
permittit ex mente Reformatorum eos
dem multos conversos , uti in peccata
malitiæ , ita eō ipsō in Statum iræ relabi :
Enimverò juxta Reformatos multi Con-
versi (scil . radicatam Fidem consecuti)
in peccata equidem malitiæ nonnulla se-
miplenō voluntatis consensu incident ,
qui tamen hōc ipsō in Statum iræ , i. e.
Filiorum iræ , à Deo prorsus alienorum ,
neutiquam relabuntur , Spiritu S. quidem
à se contristatō , sed non penitus extinctō ,
ad exemplum Davidis *Pſ. LI. vers. 13.*
Non eadem nec necessariò conjuncta sunt
Reformati , in peccatum unum aliudve
semi-plenō Voluntatis consensu labi , &
relabi in Statum iræ , i. e. eorum , qui ple-
nō Voluntatis Consensu peccatis operam
dant , sicque ex Diabolo sunt . 1. *Joh. III. v.*
8. (2) Deus non Universis conversis re-
lapsis-

lapsisque indeclinabili modō per Determinantem Gratiam id dat ex Hypothesi Reformata, ut denuò velint resipiscere; quin ex Hypothesi Reformata multos Conversos non-radicatos hincque temporarios lapsui suo permittit, etiam quandoque eousque, ut semel illuminati si deficiant totaliter, uti possunt, ad pœnitentiam imposibiliter revertantur *Hebr.* 6; Alios Conversos scilicet radicatos quidem, at non cum debito timore & tremore salutem suam operatos, in varia peccata, etiam graviora relabi patitur, per quæ Sensus saltem Gratiæ divinæ veræque Fidei amittitur: Ut sic, respectu omnium Conversorum relapsorum, non vanissimum sed planè necessarium sit, quò ipsô actu quidam absolutè, alii verò secundum quid tantisper Gehennam metuant, donec per feriam Resipiscentiam ad Deum reversi deperditum Gratiæ Divinæ Sensum recuperent.

§. XXI.

Vides ergo, *Vir Doctissime, Causam.* nullam esse, cur missa faciam hactenus à me defensa; esse autem, cur in eandem yobiscum Sententiam descendere nullus

F 3

vel

vel possim, vel debeam, easque inter hanc quoque, ut reliquas taceam, quod secundum vestram Sententiam Paulinæ assertiones, vel ab ipsis Laicis Doctrinæ vestræ peritis non aliter exponi deprehendantur quam ut nostrum, hominum puta, partim adhuc in peccatis mortuorum, partim per Gratiam Præparantem nonnihil ex morte fuscitorum Velle & Perficere, respectu salutis nostræ consequendæ, in locum τὸ Velle & Perficere Dei succedere, ad minimum hoc ab illo tribus vicibus anteverti intelligatur, quam luculentissime. PRIMO quidem, dum hominis τὸ Velle & Perficere studioſæ Lectionis, Auditionis & Meditationis Verbi Divini præponitur omni Gratiaæ Divinæ, Naturæque & Creationis viribus defertur, ipseque adeò in peccatis mortuus homo fingitur non Velle tantum Verbum Dei studiosè legere, audire, ponderare, sed & hoc ipsum actu præstare atque perficere. SECUNDÒ, dum in usu Verbi legitimo interque utendum Gratiaæ Præparante donat, homo, si incrementis Gratiaæ istius obicem non ponat, sed à malitiosa Resistentia & velit abstinere & actu

& actu ipso abstineat, i. e. & velit converti, & ipso actu semet convertat, tūm demum etiam à Deo convertendus actu que ipso converti perhibetur; Sin verò minùs homo ita velit abstinere abstineatque, nec Deus ejus Conversionem vel velle vel eandem perficere dicitur. Neque juvat hīc excepisse: Abstinentiam hominis à malitiosa Resistentia esse meram. Causam sine qua non Conversionis Divinæ: Nam dicta hæc Causa sine qua non, in natura tamen sua seu essentia propria si spectetur, cùm ex proæresi profecta intelligatur Abstinentia illa à malitiosa Resistentia, si non ipsum Perficere Conversionis, saltem Velle istius complectitur, quin eò ipso intrinsecum etiam quoddam animi Perficere, ad Velle & Perficere Dei antecedanum. TERTIÒ, dum homo conversus inque vitam Spiritualem revocatus, per Gratiam autem Dei Excitantem, actibus Fidei, Spei Charitatis, Patientiæque ejus efficaciter, at indeterminate, Cooperantem, ad spiritualem quendam Fidei & Pietatis Habitum promotus, in isto Fidei & Pietatis Habitū non aliter conservari à Deo

hujusq; potentia dicitur, nec Deus ejusmodi hominis Conservationem aliter velle, quam sub conditione $\tau\ddot{\nu}$ velle ejusdem & perficere rursus antecedaneorum, i. e. sub conditione humanæ seu ab homine profectæ Conservationis. Frustra etiā hīc fuerit excipere: Ab homine hōc locō prærequiri duntaxat ejus Studium, Vota, Preces, Conatum: Nam hæc ipsa sunt, quibus si minus à Gratia Dei Determinante, ceu priori, profluere dicantur, homo se ipsum conservare intelligitur; Ut proinde vel Doctor Pontificius quidam magni nominis *Gwilhelmus Estius*, in posteriorem Paulinam Assertionem commentatus, quanquam paulo acerbius exceptionem derideat: *Dicunt quidam*, inquit, *Deum in nobis operari Velle, si velimus; Sed stulte & ridiculè quipiam exigitur ut Conditio sui ipsius; Velut si dicas: Deus facit me vivere, si vivam. Dicunt quidam, Deum quantum in ipso est, operari, ut velimus & operemur; Sed & hoc Augustinus merito reprehendit. Non enim Operatio Gratiae divina ab humana Voluntatis assensu dependet sed eum facit, ut sit per se efficax.* Huc usque *Estius*. Quicquid sit de verbis
~~augustini~~
Estii,

Estii , ex dictis hactenus evidens satis fit,
juxta Hypotheses Lutheranas , Assertio-
nes Paulinas binas vix aliter explican-
das esse , quām ut Prior earum dicatur
Adhortatio ad Medium posterioris , ceu
Finis , per medium istud consequendi ,
hunc in modum : Cum timore ac tremore
Salutem vestram operemini , quō sic
Deus in vobis operetur Velle & Perfice-
re. Dum vice versā , juxta Hypotheses
Reformatas Universalisticas , τῷ ἐντῷ Ver-
borum Apostlicorum strictè inhæsuras ,
Prior Paulina Assertio dicatur Exhortatio
ad Effectum Posterioris ceu Causæ , par-
tim indeclinabili modō & per Determi-
nationem , partim declinabili modō &
per Indeterminationem operantis , hunc
in modum : Cum timore & tremore Sa-
lutem operemini , quia Deus est ille , qui
dat & Velle & Perficere , partim indecli-
nabiliter per Prævenientem , Conver-
tentem & Conservantem Gratiam , in
Initio , Medio & Fine salutis humanæ , ut
in his Deus solus non tantū τὸ Posse ,
velle & Posse perficere nostrum , sed &
ipsum actuale Velle ac Perficere dare ,
perhibeat ; partim declinabiliter , quā

F 5

Præ-

Præparantem Gratiam ante Conversio-
nem & quà Cooperantem Gratiam post
Conversionem, ut non minùs homo quo-
que cum timore ac tremore salutem su-
am ipsem operari admittatur, non fru-
stra sic & ridiculè vel ab Apostolo ad hoc
excitatus admonitusque vel imposterum
in Concionibus Sacris juxta Usum Ad-
hortatorium à verbi Divini Ministro quo-
cunque excitandus & admonendus. De-
fines sic *Scultete optime* & vel eô nomi-
ne *plurimū mīhi honorande pariter ac*
diligende, quòd me tam blandè Veritatē
ubique sectari jubes, ad vestras Hypo-
theses de Universali Gratia amplectendas
invitare, quando sic experiris, Hypothe-
ses Reformatas de Gratia Dei Universali
esse multò tutiores & Scripturæ S. dictis,
ex mente Spiritū S. explicatis unas om-
nium longè aptissimas, quas uti primos
nostros Doctores Confessiones item an-
tiquiores nostras tenuisse rectè agnoscis,
ab Ecclesia Reformata Marchica totō
fere Seculō superiori edoctas propaga-
tasque, à multis aliis Ecclesiis Reforma-
tis exteris approbatas; ita Spes affulget
haud levis, Fratres Reformatos Particu-
laris-

laristas eārum veritati, quae parciūs hactenus luci publicae exposita est, assūreturos tandem, ad hoc ipsum faciendum non certe exagitatione & detorsione Hypothesium suarum, minūs impotentibus debacchationibus, imò ipsius delirii imputationibus, sed ratiociniis Scripturā Sacrā (ex qua sola omnes suas Hypotheses sese collegisse, etsi, quantum nobis videtur quod ad eārum nonnullas attinet, per errorem opinantur) suffultis, & Christianam moderationem, modestiam, Charitatē spirantibus permovendi; Quod faxit Deus O. Max. in Nominis sui Gloriam sempiternam, & Protestantico-Ecclesiasticā Pacis exoptatissimū certissimumque successum!

§. XXII.

Ad SECUNDUM tamen HENOTICORUM ARTICULORUM TUORUM admittendorum & confitendorum me prætereā sigillatim sollicitas in medio numeri postrem. 447- ut credam scil. Posse conversos facere naufragium viva Fidei, Veniae, Adoptionis ac Salutis; multis id accidere, metuendum illis esse iram & vindictam sic, ut mori- geri filii à justi Parentis indignatione fibe- metu-

metuunt, in sancto isto metu ac tremore Sa-
lutis summam esse curam habendam, nec
desfore illis Gratiam Dei Conservantem, Re-
parantem, & Consummantem. Antever-
ti sollicitationem hanc tuam, mi Sculcete,
& Assertionem hucusque tuam jam
multis abhinc annis non tantum admit-
tendam, sed serio aliis etiam inculcandam
duxi; idque adeò ex Thoruniensis Collo-
quii Statuto de Gratia num. 16, ubi, Fal-
so, inquiunt Thorunienses Theologi,
accusamus, quasi statuamus, semel justifi-
catos Dei Gratiam ejusque Certitudinem &
ipsum Spiritum Sanctum non posse amittere,
quamvis in peccatis pro lubitu volentur:
cum contra potius doceamus, ipsos etiam
Renatos quoties in peccato contra conscienc-
tiam recidunt, in usque aliquandiu perse-
verant, nec Fidem vivam, nec Dei Gra-
tiam Justificantem, nedum ejus Certitudi-
nem, aut Spiritum Sanctum pro illo tem-
pore retinere, sed novum ira ac mortis æ-
terne Reatum incurrere, ac propterea, ni-
si speciali Dei Gratiâ excitante (quod in
Electis fieri non dubitamus) ad resipisci-
tiam iterum renoveruntur, re ipsâ eiam da-
mnandos esse. Hactenus Thorunienses;

Uti-

Utinam verò & Tu vice versâ quibus
Conversis non accidit ut Fidei vivæ, Ve-
niæ, Adoptionis & Salutis naufragium
faciant, non eorum hoc ipsum, quàm
diu in his terris agunt naufragii pericu-
lo per se obnoxiis viribus tribuas, aut De-
terminationi humanæ potius quàm Di-
vinæ transcriptum eas, plenissimus nos
inter consensus hîc protinus foret consti-
tutus. At verò, quoniam Perseveran-
tiā Conversorum quorumcunque null-
lô à te discrimine distinguendorum actu-
alem à Conditione rite ab his tractati
Verbi Divini, i. e. ab ipsorummet Deter-
minatione suspēdis, agedum tribus ver-
bis genuinam de Perseverantia Sanctorum
Reformati receptam melioremque
Sententiam ut Te, vel ex ipsa Doctrinæ
hujus denominatione & titulo duntaxat
edoceam, permitte.

Primo, SANCTORUM Reformati Perse-
verantiam defensitant scil. *κατ' ζωχην*
ita dictorum, qui in Sanctitate per Gra-
tiam Dei Excitantem Operantemquelon-
giores progressus fecerunt, & per Con-
suetudinem exercitatos nacti sunt sensus
uti ad discernendum inter bonum & ma-
lum

lum, ita ad istud eligendum sequendumque, hoc verò repudiandum & fugiendum, (phrasí Christi) qui Verbi Divini semen ita suscepérunt, ut servârint servatum verò in corde ipsorum radicem egerit, ut credant Fide radicatâ fructusque ferant, *Matth. XIII. vers. 23. Luc. VIII. vers. 15;* non item Sanctorum quorumcunque etiam Temporariorum credentium, cum gaudio quidem Verbum recipientium, at radice Fidei ac Pietatis carentium, etiam quorumcunque Baptizatorum & per lavacrum regenerationis mundatorum 1. *Cor. VI. II.* qui sæpe numero post receptum lavacrum cum suis bus ad volutabrum cœni revertuntur, postquam jam tum pollutiones mundi per agnitionem Domini & Salvatoris Nostri Jesu Christi effugissent. 2. *Pet. II. vers. 20. 22.* Secundò, Dictorum verò Sanctorum Perseverantiam propugnant, non itidē quamvis, sed SOLAM EAM QUÆ IMMUNIS EST à TOTALI RELAPSU, ab omnimoda Dei desertione, ab amissione totius radicis Habitûisque Fidei & Pii animi, Relapsum partiale quemcunque, graviorem quoque & diurniorem non minus

minus quam leviorem & breviorem defecatumque à Fidei pietatisque non sensu tantum Actuque reflexo , sed & ipsis Fidei pietatisque Actibus directis utrāque manu largientes , uti paulò antè allegatum Statutum Thoruniense fidem facit amplissimam. *Postremò* , descriptorum Sanctorum Perseverantiam MERE PASSIVAM arbitrantur , ut in semet ipsis consideratos hos etiam Sanctos vel Gratiani Dei Habituali Fideque radicata ipsâ & & totaliter & finaliter excidere aeternumque perire posse nulli dubitent , solaque adeo Virtute Dei à relapsu totali finalique praeserventur. Doctrinam hanc suam Reformati supestrunt Scripturæ Sacræ promissionibus exstantissimis *Jer. XXXII. vers. 40. Hos. II. v. 18. 19. Esa. LIV. v. 10. Job. XV. v. 16. Job. X. v. 22. 28. 29. I. Job. III. v. 9.* aliisque; Quæ non eludi possunt exceptione: Promissiones Veteris Testamenti non singulis sed toti Ecclesiæ factas esse; Minus exceptione alterâ: Utriusque cum V. tum N. Testimenti promissiones cum conditione capiendas esse , ab hominibus ante implenda; Quandoquidem & Ecclesiæ nulla convenire pos-
sit

fit Perseverantia, quām in membris ejus danda, saltem quibusdām , quando non in omnibūs; & Promissiones tām Ecclesiæ quām Singulis quibusdam absolutē & citra conditionem legantur factæ , per conditionem autem temere adjectam & subaudiendam evadant ludicræ & tautologicæ , nec à tautologia hac antē libera- ri ullâ queant ratione , quamcunque tan- tem conditionem ab homine præstan- dam subaudiās , donec ad Perseverantiam à Deo ejusque potentia determinandam, recurras: Id quod prolixius evictum in *Tractatu meo de Gratiae Dei salutiferæ Universalis & Particularis Conciliatione.*

§. XXIII.

Adhuc TRES residuas mihi commen- das ASSERTIONES TUAS HENOTICAS, unā cum Porismatibus earū, quibus assurgere debeam , nempe de *Communicatione Idio- matum Divinorum Humanæ Christi Na- turæ factu;* de *Omnipræsentia Carnis Chri- sti;* de *Orali etiam Corporis Christi in S. Cœna Manduca- tione,* cùm nullam mihi justam eas respuendi causam suppetere- putes. Etsi verò , *Clarissime Scultete*, satis firmiter credam , te latere neutiquam- posse

posse justissimas causas meas , imo vero co-
gentes , ob quas tribus ipsis Assertionibus , re-
ctius ad duas revocandis , (cum priores duæ
præter rem moremque vestrum discerpantur
& posterior prioris vel particula , vel porisma ,
vel utrumque sit) calculum meum cum Re-
formatis nostris adjicere nequeam ; tamen , ut
minus imposterum de his caussis harumque
pondere ullus dubites , quin imo perswasus sis ,
Reformati mirum accidere , qui Henoticis
se inter & vos Assertionibus istas annumeres ,
de quarum altera inter Lutheranos ipsos non-
dum conventum est , nec forte convenietur
unquam ; altera vero , qua rei substantiam ,
Lutheranos inter & Reformatos jam diu coa-
luisse videri debet , ut quod superest con-
troversiæ memorare vix opus sit , verbum
quoq; unum & alterum de his tandem , aptio-
ris Colophonis Epistola huic Irenicæ impo-
nendæ gratia subnectere placet .

Quod ergo ad Primam Assertionem tuam .

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM DUARUM IN
CHRISTO NATURARUM ABSTRACTA . (de qua
sola litigatur ,) itemque ad Assertionis hujus
appendicem de *Omnipresens Carnis Christi* at-
tingit , neveris planè quam ista vobismet ipsis
intricata atque perplexa accidat , quāmque
incerto adhuc dum & multum dubio innita-
tur fundamento : Dum alii Vestrum Com-
municationem dictam ad universa omnino
Idiomata Utriusque Naturæ a se extensam ,

G

ex

ex unica Unione istarum Naturarum derivant, hancque solam istius radicem veram agnoscent esse; *Alii* Communicationem ad Sex potissimum, à Sola Divina Natura Humanae impertita Idiomata restrictam, saltēm quoad *χρῆσιν* & Usurpationem, Exaltationis Christi Statui acceptam referunt; Prioribus quidem minoribus sic difficultatibus, at majoribus incongruitatibus; vice versa, incongruitatibus minoribus at majoribus difficultatibus Posterioribus obnoxiiis. *Priores* enim quorum Antesignani Würtenbergici Theologi jure suō haberi possunt, cùm hi potissimum, Ducibus *Lucá Ostiandro* & *Theodoro Thummio* Tübingensibus, contra Giessenses *Menzerum* & *Feuerbornium* olim disputantibus vel hodieq; Unionē duarū in Christo Naturarum unicum & adæquatum Communicationis Idiomatum fontem constituant hōc ipsō Distinctionum perquam afféctarum & in solius falsæ suæ Hypotheseos gratiā confictarum, aut perperam saltem confictæ à se Doctrinæ applicatarum (quales sunt inter *Statum Christi Exinanitionis* & *Exaltationis*; inter *Idiomata eius ēveruptuā* & *āveruptuā*, inter *utrīusq; eorum* & *χρῆσιν*; inter *Actum Personalem* & *Naturalem*; inter *āmētōs* & *ēmētōs*; *πρωτōs* & *deutētōs*; per *Essentiam* & *per Unionem* *competentia* inter *Principium* & *Subiectum Idiomatum* aliæque plures, partim Numerum & Qualitatem Idiomatum communicatorum, partim Tempus & Modum Communicationis factæ indigentantes)

tantes) onere sese quidem levant propemodum totos, Communicationem omnium Idiomatum utriusque Naturæ reciprocam à primo Unionis harum momento quā $\chi\rho\eta\sigma\tau\omega$ non minus quam $\kappa\tau\eta\sigma\tau\omega$ statuentes; His interim gravissimis incongruentiis pressi manent quib⁹ Divinam Christi Naturā isto pacto omnibus Naturæ Humanæ infirmitatibus subjacere; Humanam è contrario omnibus infinitis Divinisque perfectionibus donatam fateri coguntur actaque fatentur Divinam Christi Naturam natam, passam, mortuam esse, *Vide preter vnuostiores Job. Adam. Osianorum in Collegio Theologico Quæst. 16. pag. mihi 105. & Quæst. 19. pag. 115.* qui idem Autor proinde in Systemate suo Theologico Exercit. 60. Communicationem hujusmodi incongruam ineptamque duabus Thesibus plenè edisserit, docendō: *Thesi 8. Per Realem idionomos Filium Dei Humanam Naturam intrasua ὑπόστασεως Unitatem intimè arctissimè & profundissimè assumentō, sibi (i. e. Divinæ suæ Personæ & Naturæ) omnia humana Natura Idiomata, Actiones, Passiones, Infirmitates, & imbecillitates realiter appropriasse;* Et *THESI 13. Eundem Filium Dei per Realem μετάδοσιν Carni sue, in Unitatem Personæ assumptæ, semet ipsum & omnem Divine Celsitudinis immensam Gloriam & Majestatem communicasse, ut quæ λόγος habet per Naturam, assumpta Caro habeat per assumptionem Unionis & Communicationis Personalis Gratiam,* pag. mihi p. 336. & 337.

Posteriores, et si absurditates Würtenbergicorum & Tübingensium devitent, contra quas jam olim Saxonici, Dresdenses, Lipsiensis, & Wittenbergenses Theologi, in subsidium Giesensibus ab ipso Serenissimo Electore Saxonico dati, *Decisione suā Solidā*, hujusq. *Decisionis Apologia seu Assertionē* acriter disputatione; Distinctionum tamen plaustris, Contradictiones implicitas tantum non innumerās accumulantiū penitus succumbunt, proprietates rerum quæ cum ipsis rebus suis realiter adæquatè indentificantur, communicabiles supponendo, hōcque pactō Homine Deum, Terram Cœlō commiscendo, dum attributa essentialia Divina & Humana diversis his Essentiis suis per Cautelam aliorum aliorumq; respectuum, Contradictoriis alioquin accidentalibus in gratiam reducendis aptam natamque, conciliare conantur, contra quam Conciliationem nos ita in Metaphysicis jure, utpote ex clarissima ratione determinandum duximus: *Cautela de requisitis Contradictionis, Oppositionem & Contradictionem tantum in Accidentalibus Modis & Partibus tollit*, non verò in rerum *Essentiis & Essentialibus Attributis* tūm *Consecutivis* tūm *Constitutivis*: Hec enim ut in se sunt immutabilia & aeterna, ita sibi semel opposita, quondam se conciliari minus apta, e. g. *Humana Christi Natura est Omnipræsens*, & non est Omnipræsens; *Huic Contradictioni nulla Oppositione requisita, quomodo cung. applicantur, medicabuntur,*

quia

quia non instituuntur secundum Partes, Modum
vel Accidens, sed secundum Attributa Essentialia,
Metaph. Contract. p. 52. & 53.

§. XXIV.

Res patet adhuc clarius in modò memo-
rato unico OMNIPRÆSENTIÆ CARNI CHRISTI
COMMUNICATÆ exemplo, paulò latius repe-
tendo, utpote Assertionem tuam Clarissime
Scultete quartam Henoticam constitue[n]te. Omnipræsentia Carni Christi Autorum me-
moratorum posteriorum alii *Actualēm*, ob Uni-
onem cum Divina Natura κατὰ οὐτῆσιν à pri-
mo Incarnationis momento, κατὰ χρῆσιν à
tempore Exaltationis demum, in Descensu
ad infernum figendæ, tribuunt; alii ex Omni-
potentia, Humanæ Naturæ communicata, O-
mnipræsentiam Carnis Christi deducenti, Po-
tentialem duntaxat eandem admittunt, Actuali,
ceu novo à Fabro Stapulensi excogitato Ubi-
quitatis Dogmate, explosâ rejeclâq;. Neutri
verò Contradictionibus se explicant: Non *isti*,
quia Contradictionem alit: Esse Omnipræsen-
tem, puta divinâ & infinitâ Omnipræsentia,
at non κατὰ χρῆσιν; cùm Omnipræsentia Actū
Secundum, etiam quâ præsentiam nudam,
magis, quâ Omnipræsentiam eamq[ue] divinam
inferat; Item: Contrad. implicat: Esse Omnipræ-
sentem κατὰ οὐτῆσιν & non simul κατὰ χρῆσιν;
cùm οὐτῆσις & χρῆσις in Omnipræsentia vix con-
ceptu, nedum re aut facto à se invicem separari
possint. Non *hi*: Nam præterquam quod Di-
stinctio

stinctio inter Potentialem & Actualem Omnipræsentiam à distinctione inter $\kappa\tau\eta\sigma\iota\omega$ & $\chi\rho\eta\sigma\iota\omega$ ejusdem parùm differt, indeqve iisdem penè cùm hac Contradictionibus subjacet, etiam novâ Contradictione augetur: Quandoquidem Attributa Divina omnia & singula, cum Essentia Divina realiter adæquatè Identificata, non minus atque hæc ipsa, actualia ita sint, ut tantum Potentialia esse haud possint, eoque ipsò Potentialia desinerent esse, quando Actualia esse negarentur: In æternis enim Esse & Posse idem sunt, τὸ ἐνδέχεσθαι αὐτῷ τῇ εἶναι γένερος διαφέρει τοῦτο, rectè inquit Aristoteles, *Phys. cap. 4.* Vide argumentum hoc fuisse deductum in *Metaphysica contracta supra circata pag. III.* Tām perplexo itaq; & Contradictionum satis fœcundo Dogmati ut assurgam haud seriò à me, *Vir Clarissime*, postulaveris, quin me potius gaudere porro patieris. Doctrinā de Communicatione Idiomatum omnibus Reformatis, Particularistis perinde ac Universalistis frequentatā, per quam perspicuā Scripturā S. domesticā & per omnia sibi probè constante, quā Uni Mediatoris nostri Jesu Christi Personæ Divina cuncta Humanaque, Finita Infinitaque Essentialia, secundum aliam aliamq; Naturam, i. e. vel *natura spiritualis* vel *natura materialis* (Scripturā S. ipsā sic præente & distinguente *Rom. I. v. 3. 4. cap. IX. v. 5. 1. Pet. III. n. 18. cap. IV. v. 1.*) credimus communia; Omnipræsentiam quoq; & Ubiquitatem in specie,
 (disting-

(distingvantur hæc inter se vel Re vel Conceptu, sive convenient) non per Distinctiōnem Cerebri humani & extra Scripturæ Sacrae pomeria quæsitā, quin novæ Contradictionis, inter Corpus humanum Visibile & Invisibile feracem tenacemque Carni Christi in Abstrato, sed verò ipsi Christo secundum Divinitatem seu Divinam Majestatem transcribimus. Perpenderis præterea Dogma hoc Vestrum paucissimorum Christianorum applausum vel hodieq; etiam inter Vosmet meruisse, utpote de quo rectissimè Veteranus Theologus D. Fridericus Ulricus Galixtus in Nupera ad Pacem Ecclesiasticam Via sua: Nec Protestantium, inquit, Ecclesia Dogmatibus destituntur harum singulis propriis: Sic Evangelici, qui à necessarie Reformationis Autore Lutherani nominari conservere, neq; tamen hi universi, sed horum saltē aliqui, novum Ubiquitatis dogma tinentur, quod tamen ipsa Novitas, simul ac omnes reliqui & Orientis & Occidentis Incole erroris damnant, Praef. dicti Tractatus Theſi 24. pag. 33. Ad minimum Dogma hoc Vestrum non amplius inter Assertiones Henoticas & Fundamentales numeraveris, cuius rei Vestrum quempiam graviter admonet jamjam laudatus Theologus Celeberrimus, post hæc magni Parentis sui verba ex Consultatione istius Numero 48. adducta: Speramus illos, quibus adhuc Ubiquitas arridet, prudentiores & moderatores esse, quam ut eam pro Articulo ad Salutem Necessario veudent, vel Gebenna, quotquot dissentient, adjudicent

judicent, ita pergens: Quām verò pium Virum
frustrata esset Spes ista, si omnes quibus adhuc ubi-
quitas arridet, nec prudentiores nec moderatores
essent, quām iste aduersus Pictetum insurgens est
Lutheranus. Etenim, si Ubiquitistica Veritas talis
est Veritas, cui oppositus error fundamenta Salutis
labefactat, hereticum Errorem atque huic oppositam
Veritatem Artieulum Fidei ad Salutem necessarium
esse oportet, atque consequenter Gehennæ, quo quot
dissenserint, adjudicandi fuerint. Sed hoc Deus no-
lit &c. &c. Tractat. suprà citat. pag. 259. & seqq.

§. XXV.

Hic idem Pacis Ecclesiasticæ amantisimus
Theologus de quinta tua postremaq; Affer-
tione Henotica, SACRAM SANCTISSIMI NOSTRI
SALVATORIS COENAM concernente Judicium,
ferens, vel ex ipso etiam Hülsemanno, cäte-
roquin Viro, Calvinismo prorsus irreconcilia-
bili, ostendit, Reformatam de Sacra Cœna,
Sententiam fundamentalem errorem haud in-
ducere pag. 256. Verba Doctoris Hülsemanni
ex Num. 17. Disputationis ejus de Dogmati-
bus ad Salutem Necessariis allegata hæc sunt:
*Quod Reformati in Doctrina de Cœna Domini er-
rent, dubium nullum est; An exitialiter errant,
maximum. Sanè Veritatem Verbis Christi qui de-
trahit, libi ipsi Salutem detrabit, quia in uno non
minus quām alio Dogmate falsum dicere potuerit;
an verò is Salute excidat, qui ignoranter detra-
bit, imò quod non detrabit planè persuasus est,
affirmare non ausim s Iste Hülsemannus. Quod si
verò*

verò illi, subjicit Dominus Calixtus, qui verbis
Domini Veritatem detrahunt, errant quidem, non
tamen exitialiter errant, si sic ignoranter errantes
Salute non excidunt, detracta Verbis Domini Veri-
tat non potest Veritas illa talis esse Veritas, in quam
impingens error fundamentum Salutis evertat, qui
Veritatis cor petat, ac veluti ferrō vitalia hauriat
d. l. p. 257. Et quoniam Vir idem Spectatissi-
mus in Præfatione suā laudatissimā, ad Schis-
matis inter Protestantes sublationem accele-
*randam requirendos & sollicitandos arbitra-
tur Reformatos, quò illi de præcipuo hoc in-
ter Protestantes controverso Capite animi sui
Sententiam candidè & sincerè manifestare,
velint, & quidem tantò id velint facere di-
lucidiū, quia iste Dissensus Protestantium
fundi extrema sit Calamitas, per quam unam
& solam infelix Schisma, flagrante bello Sa-
cramentario, in horum irruperit Ecclesiam;
Ego vicissim requirendū sollicitandumq; mihi
sumo tūm ipsum Virum Venerandum, tūm
Te, Clarissime Scultete, qui me de pluribus fol-
licitasti assensumq; impetrasti, quò Refor-
matorum animi Sententiam sinceram ac di-
lucidam hac in causa eam arbitremini esse,
quam ex B. Calvini Inst. Lib. IV. cap. 17. §. 9.
prior Vestrum adduxit l. c. his verbis: Quic-
quid ad exprimendam veram Substantialē, Cor-
pōris ac Sanguinis Domini Communicationē, qua
Sacris Cœnæ Symbolis Fidelibus exhibetur, facere
*poteſt, libenter recipio: Atq; ita, ut non cum ima-**

ginatione duntaxat aut mentis intelligentia percipere, sed ut re ipsa frui in alimentum vita eterna intelligantur, Pref. cit. pag. 12. Duriorem a. in Consensu cū Tigurinis præcipitanter (ut D. Calixto dicitur) protruſam Calvinii (vulgò Bezae) vocem hanc: *Quod Corpus Sanguinis Servatoris Nostri à nobis tunc, quando Sacra administratur Eucharistia, tantò locorum intervallò distet, quantò Cœlum à Terra,* ita cum proximè recitatis ejusdem Calvinii verbis conciliets, ut ibi de Crucifijo, hic de Glorioso Corpore Christi locutus perhibetur. Gloriosum seu Glorificatum Christi Corpus ex Sententia Calvinii & Reformatorū in Cœlis est, ibidem sedens ad dextram Patris, inde redditurum ad judicandum vivos & mortuos; at Crucifixum Corpus Christi in Eucharistia præsentissimum est. Sincera enim hæc & dilucida Reformatorum (quod nomine eorum omnium spondere audeo) de Cœna Domini Sententia est: Omnes Credentes, qui accipiunt & manducant benedictum Panem accipere & manducare Corpus Christi Crucifixū; Consecrati Vini eadem ratio fit; Modum autem, quō id fiat, ut Corpus Christi crucifixum & Sangvis ejus effusus in Cœna Sacra Credentibus realiter præsentia sint & ab his re vera accipientur, edantur bibanturq; nos ignorare, esseque modum illum Hyperphysicum. Sic enim habet proximè Administrationem Usumque Sacræ Cœnæ præcedens Liturgica Reformatorum Admonitio omnibus Communiantibus

cantibus dicta: *Quo itaq; verô Cœlesti Pane, Christo,
vescamur, cordibus nostris Pani Vinoque externis
baud adhuc escamus, sed Corda fidemq; nostram
fundemus super verbis promissio[n]is, neq; dubitemus.
tam verè nos per operationem Spiritus S., Corpo-
re & Sanguine Domini, quæ animas nostras, cibari
ac potari, quam verè benedictum Panem Potumq; in
memoriam Christi accipimus.* Utinam intra hos
terminos stent Lutherani, veram & realem
Præsentiam Corporis Christi in S. Eucharistia,
ut & ejusdem Manducationem realem nobis-
cum credant publicèque profiteantur, nec ad
Modum Præsentia & Manducationis definien-
dum procedant, Præsentiam Localem, Man-
ducationem Oralem, quæ tamen non sit Gut-
turalis, defendendō, falvâ res foret, & jaustum
fuerit non tantum tolerantia mutua intro-
ducenda sed & toti Schismati tollendo fun-
damentum sat solidum. *Quid quo[m] opus
fuerit de impenitentium & incredulorum
Manducatione Orali præterea disceptare, cum
ex Scriptura notum sit, in Judam, accepto
ab eō Pane, non Christum sed Sathanam ingres-
sum esse, indeque Sanctus Augustinus scitè
scribat: Judam Panem Domini, non Panem
Dominum manducasse? Quid item opus fue-
rit Oralem Manducationem tantō oris cala-
morumque strepitu ingeminasse, cum in Scrip-
ptura de ea nec vola nec vestigium invenia-
tur, Oralis etiam Manducatio, quia Natur-
alis, Hyperphysicam & Supernaturalem ever-
sum*

sum eat. Neque Consensum Protestantium in hac Materia remorari vel potest vel debet Dissensus de horum Christi verborum: *Hoc est Corpus Meum*, expositione, quando Reformati ista Figurata esse contendunt, ad modum reliquarum Propositionum Scramentium, in omni omnino Sacramentorum etiam Sacrae Cœnæ institutione, Parte nempe secundâ: *Hoc Poculum est N. T. in Sanguine meo*, occurrentium; Lutherani verò Figuram hic omnem deprecantur, actu interim ipsô à se retentam, sive verba dicta: *Hoc est Corpus meum*, per hæc: *In, Cum & Sub hoc est Corpus meum*; sive per hæc: *Hoc Complexum ex Pane & Corpore est Corpus meum*, explicentur. Sufficit ad utriusq; Partis Consensum, ut realis cùm Præsentia tūm Manducatio Corporis Christi, ratione Credentium accipientium & manducantium ex aliis Scripturæ locis (qualia sunt: *Job. VI. & 1. Cor. XI.*) sinceré utrinque in Sacra Cœna statuantur serventurque; Quod ad Oralem autem Manducationem Corporis Christi attinet, tenuisse sufficit illud Augustini *ex Libri tertij de Doctrina Christiana cap. XVI.* bujus rubricæ: Ubi Figura subfit, ubi non: si inquit August. *Præceptiva locutio aut flagitium aut facinus vetans est, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata; si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est.* Nisi manducaveritis, inquit Christus, Carnem Filii

Filiis Hominis & Sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, Facinus vel flagitium videtur jubere, FIGURA EST ERGO, PRÆCIPiens PASsioni Domini esse communicandum, & sicut erat atque utiliter recordendum in Memoria, quod pro nobis Caro ejus crucifixa & vulnerata est.

Sunt haec, Reverende admodum atq; Doctissime Scultete, que ad Observaciones Tuas in Criticam meam Concionatoriam Jenicas, Parte Ecclesiæ pro modulo etiam meo promovenda gratias, annotare habui, non equidem eo animo, ut Te in Sententias meas pertraham; Verissime enim à Te in Tractatu Tuo Num 417. scriptum est: Hoc ex sententia hominum est pulcherrimum, citra prævium justum examen id credere, prefiteri ac tueri masculè, quod Majores amplexi sunt, quod à puero didicisti, quod inde à primis Sacri munieris annis inculcasti, quod reliqui ejus cœtus Cives, in quo procreatus & educatus es sūo probant caleulo pag. 369; Sed potius, ut ad initorem erga Reformatos mentem Te inducam ad incirem, ex qua deinceps identidem erga quosung, Tecum non per omnia facientes Scriptores, blandum, lene, Charitatissim, Christiane plenum scribendi genus procedat, quod eriam Tibi, Amicissime Scultete, optimo, ut appareat animo commendat retro nominatus Abbas, exemplō cum Oecolampadio olim disputantium Theologorum, à Patre Suo, Theologo præstantissimo, in Consultationis de Reformatorum Tolerantia

super

Numero

numero 54. verbis bisce annotatum: Utinam pari
 lenitate tractata semper fuisset de Cœna Sa-
 cra Controversia. Non procul in initio Libelli
 in hunc modum loqvuntur: Optime Oeo-
 Lampadi, planè nobis persuasum est, te faci-
 lè, pro agnata tibi modestia, imò pro Christi-
 ano candore passurum, ut tantisper de Pane
 & Vino Cœnæ Dominicæ (addit Dominus Ca-
 lixtus Filius: In istorum locum surrogare placeat de
 Universalitate tūm Gratia tūm Meriti Christi) à tua
 opinione dissentiamus, dum Dominus & Ti-
 bi & Nobis rō autò Propreav dederit. Si eā men-
 te vel hodie essemus, tranquillitati Ecclesiæ &
 Concordiæ Christianorū multū consuleretur,
 Tractat Doctoris Calixti Junioris de Via ad Pa-
 cem Ecclesiasticam pag. 253. Posthac pag. 254.
 Celeberrimum Domini Pictetum, Theologum Ge-
 nevensem, eō nomine iure meritoq; collaudatus,
 ita pergit: Conferista, si placet Amice Lector,
 cum honoris Prefationibus, quibus Scultetum
 affecit Pictetus, & talium Encomiorum in-
 venturus es plus satis: Talia verò præconia,
 quamvis rem non confiant, non tamen sic,
 sicut aculeata dicteria, irritant. Hacenus Calixtus
 Christianum hoc monitum tanto promptior admit-
 tes Scultete Honorande, si minus in animum
 induxeris, omnem eum illico Christiana quevis
 dissipare, qui non vel Tecum, vel cum Lutheranis
 quibusdam aliis, colligit; Sed potius ad Te aque
 atque ad quemcunque alium pertinere putaveris
 verba laudatissimi Abbatis: Ceterum errare
 usque

usque adeò est humanum, ut hominem ex-
 ueret atque ultra naturæ potentiam anniti
 conaretur, qui extra errandi discrimen se po-
 situm jactitaverit, l. c. pag. 254. in fine. **ITA**
Pacem pariter atque **Veritatem** sectaberis, quin
 usramque (quod Theologum verè Christianum de-
 cet) citra alterutrius detrimentum sustinebis.
 Omnibus Dei amantibus omni studio annitendum,
 inquit Modestissimus Pictetus, ut dissidia Re-
 ligionis componant, & **Pacem Ecclesie Christianæ**
 procurent citra tamen **Veritatis** detrimentum.
 Quemadmodum enim **Pax** non ambienda, quâ vora
 deseratur **Fides**, cùm nihil **Veritate** nobis prius &
 antiquius esse debeat; Ita nec ratio **Veritatis** ita
 habenda, ut cura **Pacis** prorsus abjiciatur. Hinc
 quando citra **Veritatis** dispensium **Pax** inter Frat-
 res iniri potest, nihil ad eam conciliandam ne-
 cessarium à Viris bonis prætermitti debet, cùm scil.
 Discordia non orta est ob errorem, qui fundamen-
 ta Salutis labefactet, qui **Veritatis** Cor petat, ac
 veluti ferrò vitalia hauriat. **ITA** non Ritus dun-
 taxat diversos in diversis Cœtibus, salvâ pace,
 admittendos censebis Clarissime Scultete, sed
 & diversas Doctrinas, si Fundamentum Fidei non
 subruant, tolerandas, observatâ probe Fundamen-
 talium Dogmatum à minus fundamentalibus dis-
 cretione, à me prolixissimè exposita Dissertat.
 de Pace Eccles. Cap. 7. 8. 9. 10. **ITA** denique
 ages ipse, quod mihi à Te commendatum accipio
 quām labentissimè, ut Protestantium animos
 secum invicem conjungas secundum Dei

Ver.

Verbum, re & exemplo, Scriptis factisq; multum
sit profuturus, Pacem, à Paeis Princeps Discipulis
suis impertitam non minus atque injunctam,
in multorum Cordibus, adspirante ulerrime Bene-
dictione Divinâ, accensurus, & ceu verus epyno-
pios amplissimum Pacis premium à Deo Pacis
Optimo Maximo indubitate olim consecuturus,
quod ipsum cum omnigena, etiam in hac vita,
Tibi à Deo clementissimè continuanda Corporis
pariter atque Animi Prosperitate toto Tibi pectore
apprecor, ad omnia Christianitatis humanitatisq;
Officia prestanta nunquam non paratissimus

Dabam Francofurti
ad Viadrum, Mense
Augusto A. 1701.


S. Strimesius D.

Beati pacifici, quia hi Filii Dei
vocabuntur.

CORRIGENDA:

- Pag. 22. lin. 2. Hæterodoxiz lege Heterodoxiz.*
- 27. lin. 15. Observato lege Observatore.*
- 29. lin. 15. habens lege habentem.*
- 63. lin. 8. propabulo lege propatulo.*
- 64. lin. 4. Repugnantiaz lege Non-Repug-
nantiaz.*

69. lin. 14. κονδις lege κονδις.



3

ULB Halle
003 486 923



56.



SAMUELIS STRIMESII,
Theol. Doctor. & Profes. Ordin. in Ecclesia
& Univers. Francofurtensi,

EPISTOLA IRENICA

^{ad} DOMINUM
DANIELEM SEVERINUM
SCULPTETUM,
Theologum Hamburgensem,
super hujus
Observationibus

^{ad} Criticam suam *Concionatorium*
novissimè editis,
Assertionique amplissimæ divinæ Gratiae,
Theologo Genevensi

Dn. Benedicto Picteto
ab Autore inscriptæ oppositæque,
annexis.

Francofurti ad Viadrum.
Apud JOHANNEM VÖLCKER.
M D C C I.

N. 36.